EPITOME

THESAVRI ANTIQVITATVM,

hoc est, IMPP. *Rom. Orientalium & Occidentalium Iconum, ex antiquis Numismatibus quàm fidelissimè deliniatarum.*

Ex Musæo Iacobi de Strada Mantuani Antiquarij.



LVGDVNI,
APVD IACOBVM DE STRADA, ET
THOMAM GVERINVM,
M. D. LIII.
Cum Priuilegio Regio.


Τῶν ἱεράτων ἔχει φήμην ἐνδάκνυσιν ἱερί
νων Οἷς αὔξων σοφία πράγματα ἱερχνίς.

ILLVSTRISSIMO COMITI A KIRCHBERG

& Weiſſenhorn, D. Ioanni Iacobo Fuggero, παναρίστῳ, Domino ac Patrono ſuo obſeruandiſſ. Iacobus de Strada Mantuanus Antiquarius S.

COGITANTI mihi, quanti ſemper fecerit amplitudo tua, & liberales artes omnes, & excellentium hominum virtutes, citra exceptionem vniuerſas, in mentem id venit, cum hac Epitome noſtra rerum geſtarum ab Imperatoribus Romanis, te potiſsimùm nuncupandum eſſe, apud quem tutiſsimum (vt ſpero) & certò ſcio domicilium ei futurum ſit, ſi vſquam in Europa tota futurum eſt. Is enim mos olim iam fuit, & adhuc ſeruatur, vt qui monumenta ingenii, literis tradunt poſteritati, vel artificioſè quidquam elaborant, pro veteri conſuetudine, & nondum exoleta, id vel hominibus dedicent, qui iudicio ſuo poſſint excutere: vel amicis, qui voluptatem inde capiant, vel dynaſtis, ac principibus magni nominis, quorum gloria ſcripta commendentur. Eum quidem morem ſequi mihi propoſitum eſt, ac tenêre, quidquid agam: quòd nihil abſurdius putem, quàm ſi iis, quibus dulcia placent, acerbum offeras, qui acerbis delectantur, quod dulce eſt, obtrudas. Cùm ergo in cognitione rerum antiquarum, & præcipuè numiſmatum, imaginibus Regiis ac Imperatoriis ſignatorum, tibi nemo par ſit, quod & res ipſa monſtrat, eorum coaceruato apud te incredibili numero, cúmq; in hac re

perſcrutanda maximo & ſingulari iudicio,variáq; doctrina confirmato,ſis prędicus (nam inde quidquid egregium eſt,petitur) non immeritò de tua ſumma virtute homines eruditi teſtimonium ferunt, quos liberalitate tua ſuſtines,& cunctorum beneuolentia nomine tuo conciliata, honoribus dignitatéq; amplificas. Itaque plurimi Libri Græci, Latini, & aliarum nationum lingua compoſiti, quos numero comprehendere nemo poſsit, iam tibi dicati ſunt, iique planè loquuntur amplitudinis tuæ faſtigium, quam tot homines ac variis locis nati,colunt: id quiſq; pro ſe nitentes, vt honeſtiſsimis rationibus, eſſe tibi ſe obnoxios fateantur, ac quod ingenii à diis & natura tributum eſt, id tibi velut conſecratum velint.Quando igitur nominis tui claritate famoſus ac celebris es, & in Europa tota, & apud exteras gentes vniuerſas,ſic exiſtimaui neminem potuiſſe me deligere,qui ſplendore ſuo plus lucis afferret Commentariis meis, immensáq; gloria ſua æternitatem huic operi compararet.Quamobrem animo prorſus fixum eſt, quod iam multis annis, & ad hæc vſque tempora intra priuatos parietes abdideram, ac deliteſcere coëgeram, auſpiciis tuis publicare, infinito labore perfectum, & abſolutum. Nec enim me fatigauit prolixi Libri magnitudo tantùm, nec in tot congerendis numiſmatibus (quorum Imaginem reddidimus) indefeſſa opera,quanquam id perdifficile ſit,ac in primis laborioſum: ſed in iis agnoſcendis diſcernendíſque, iudicandi modus,& ratio, difficultatis ac obſcuritatis pleniſsima,vt amplitudo tua ſat perſpectum habet.Nam hæc cognitio & eruditio partim doctrina multiplici conſtat, & hac de cauſa, quia Libris explicata eſt, non admodum eget interpretatione: partim aſpectu & copia tractationéq; Numorum ipſorum,quos quia nanciſci cuiuis minimè licet, doctos complures videas, quòd ſumptus ferre nequeant, ab iis ſtudiis alienatos,eáq; voluptate priuatos fuiſſe. Vtrumque verò dii tibi conceſſerunt. Sed quoniam in mea poteſtate non eſt,antiquos ipſos Numos amplitudini tuæ collectos offerre, quod mihi relictum eſt,id ego profero, nempe hanc Epitomen, quam vt æqui boníque conſulas, etiam atque etiam rogo, & velut teſtimonium obſeruantiæ erga te meæ, atq; Indicem quendam voluminum, quibus tua ditiſsima confertiſsimáq; bibliotheca eſt. Aggreſſus equidem ſum & opus alterum, quo Numiſmatum antiquorum auerſa pars oſtenditur, abſoluíque propemodum,& amplitudini tuæ iam voui: ſed in hoc longè plures ei conicæ ſpectantur effigies, memorata cuiuſuis imperato-

ris

ris ſtirpe, patre, matre, fratribus, ſororibus, propinquis, cùm Imperatorum tantum cæteri mentionem fecerint, ordine tam accurato digeſtis omnibus, vt nemo ſit prætermiſſus, qui cum illis vel affinitate, vel propinquitate, vel amicitia coniunctus fuerit: ſubdita etiam ad ſingulos titulos hiſtoria, quoad eius fieri potuit, breuiſsima, qua continentur ea, quæ memoratu digniſsima mihi viſa ſunt, hoc idem facere propoſui, & in altero illo opere, quo auerſas partes Numorum, vt ad hiſtoriæ veritatem referri poſſunt, in Epitomen cœpi redigere, ſelectis nobiliſsimis quibuſque, & hiſtoriarum fide comprobatis. Id autem, quod ante paucos dies in lucem prodibit, amplitudinis tuæ fauore communitum, adhuc nec aliquis tentauit, nec vidit, nec edidit. Porrò autem, duce te minimè pertimeſcam inuidorum ac maleuolorum calumnias. Scio ſanè multò plures Antiquarios eſſe, qui Numos antiquos ſectentur, vndiq; corripiant, corradant, quàm vel Numos ipſos. Scio neminem eſſe huius rei ſtudioſum, qui non iudicio ſuo pendat, ac metiatur omnia. Id tamē non offecit, quominus propoſitum meum vrgerem: partim, quod haud ignorē, ab oculatiſsimis interdum nonnihil peccari, Lectoréſq; non mihi magis, quàm cæteris aſperos ſe, & difficiles præbituros, ſi quid delictum fuerit: partim, quòd Lectoribus confido gratum fore, vel ſi quid vnum bene dictum, rectéve ſcriptum fuerit. At enim poſteris non ſolùm documentum hoc manebit, tuæ in rebus præclaris cognoſcendis, ac exquirendis ſolertiæ & cupiditatis (præclarum nanque haud iniuria vocare poſſum argumētum hoc, quo res ab Imperatoribus geſtæ velut ſumma quadam percurruntur) ſed & meæ diligentiæ, ac induſtriæ, cùm tot & tam diſtantibus inter ſe locis, tam longo ſpatio temporis, Numi, quorum Imaginem expreſsimus, contrahendi, & accumulandi fuerint. Ac licet fortaſsis amplitudinis tuæ liber hic ſatis non reſpondeat: is tamen proculdubiò quotquot adhuc excuſsi ſunt, imaginum numero longè ſuperabit, triplo quouis copioſior. A Sadoleto quidem, omnium primo Romæ, iuſſu Leonis ſummi Pontificis, libellus in hoc genere conſcriptus quidam ac depictus eſt: hunc omnes reliqui imitati ſunt, infelici tamen conatu, ac deterioribus illis, quæ ad exemplum Sadoleti fixerant: nec quiſquam fuit, qui vel vna totum opus imagine reddiderit auctius. Quidam certè mutauit hiſtoriam, at Iconicas effigies, vt anteà fuerant, is retinuit. Quamobrem quòd me illorum miſereret, & quòd in ſpem veniſſem, literatis hominibus ſtudioſisq; rerum antiquarū, pla-

cῑturum hoc opus, vt liquerent magis, quæ etiam dubia, nec omnino comperta ſunt, hunc Librum emiſi, addita ſcriptura ad principium vitæ ſingulorum, quæ in auerſa parte ſculpta fuerat, inanibus etiam relictis nonnunquam areis, quia nanciſci mihi Numos facultas nuſquam data fuerat, eo tamẽ conſilio, vt ſi alicunde poſsim illos adipiſci, quod deeſt, reponendum curem, interímque nil deficiat, quod pertinet ad Hiſtoriæ continuandam ſeriem, hoc verò, qualecunque eſt, amplitudo tua non dedignabitur legere, animi cauſa, cùm nil magis erit ſerium, quod agas. Si munus hoc exiguum quidem, pro fortunarũ tuarum, & celſi animi ſtatu, ſed quod pro conditione mea, & virium tenuitate maximum habui, non reſpuet, alterum id opus quo auerſorum Numorum ſculptura deſignatur, propediem in manus hominum dabitur, ac exibit, gloriæ tuæ fama tutum ac defenſum. Cæterùm, vt Græcus ille, cùm Auguſto Cæſari neſcio quid haud magni ducendũ offerret, vilius id eſſe dixit, quàm poſtularet maieſtas Cæſaris, ac principalis fortunę ſummus gradus, conuenire tamen, pro loco, ſortéq; ſua, ſeq; non minùs libenter daturum, ſi quid poſſet maius: ſic ego amplitudini tuæ hoc munus affero, vehementérq; rogo, vt interdum legere non pigeat, animique mei tibi deditiſsimi, ac iuſtis de cauſis (cùm tot modis beneficiarius tuus ſim) te venerantis, & adorantis, aliquando velis meminiſſe, id quod vnum percupio ac votis opto.

Vale,

Lugduni tertio Calendas Septembris.

1553.

IACOBVS DE STRADA
MANTVANVS ANTIQVARIVS
AD LECTOREM.

CVM *iamprìdem mecũ deliberaſſem in gratiam illorũ, qui rerum antiquarum cognitione, ac ſtudio præſertim Numiſmatum ducuntur, hanc Epitomen publicare, timerem autem ne quis eorũ, qui in hoc labore ante me verſati ſunt, offenderetur, hactenus id diſtuli, quia rumor ſparſus foret, Venetijs adornari opus eiuſmodi, ſculptis iam perquàm multis Numiſmatum imaginibus, quinetiam Romæ, id quoſdam incœpiſſe. Cæterùm tantiſper dum egregium quidquam expecto, & conatus ipſe meos retardo, vt priuſquam labor meus cum doctis communicaretur, ex aliorum ſcriptis iudicarem quid optimum ſit, atque in eo genere certiſſimum: nullus eorum, qui ſuis nos promiſſis excitauerant, id præſtitit, quod pollicebatur. Quamobrem ſtatutum eſt hanc tarditatem abijcere, cùm intelligam multò difficilius eſſe verbis ac pollicitatione, quàm re ipſa libros huiuſmodi conſcribere: quos etiam, ſi vt facturos ſe receperunt, in lucem mittant, hunc meum anteiturum non dubito. Verùm quandoquidem ſuos illos fœtus domi pertinacius occulunt, hac Epitome noſtra ducem me illis præbeo, viamque monſtro, vt me conſequantur, vel etiam deorum, naturæ, & doctrinæ adiuti præſidijs antecedant, haud quidem veritus, ne copia numorum ab ijs vincar, cùm fieri non poſſe credam vt plures aliquis coaggeret, niſi forte arbitrio ſuo fingat, vt liberum eſt ac facile ex arte quidlibet repreprefentare. Verendum tamen ne in crimen incurramus: quod maior pars eorum, qui ſeſe totos dediderunt ac perſcrutanda veterum monumenta, maximè Numiſmata, probè norit* IMPP. *ac* COSS. *omnes, qui excudi fecerunt, quinetiam numerus numorum, ſiue magnus ſit, ſiue paruus, eſt ab eis perſpectus. Quod vt effugere quis poſſit, iudiciũ adhibendũ certũ, ne pro veris adulterinos & falſos accipiat: hac enim tẽpeſtate tam ingenioſi & excellẽtes inueniuntur ſculptores, vt cum illis veteribus ſint cõparandi, quique notiores ſunt, quàm vt hìc nominare neceſſe ſit. Deinde adhibenda ſumma diligentia eſt, ad ſeligendos eos numos, qui à peritiſſimis quibuſq; in arte Anaglyptica ſunt exculpti, propter eorũ & venuſtatẽ & elegantiã: in quã rem totis viribus incubuiſſe me confiteri non vereor. Verũ ſatius eſſe*

credidi prius quàm liber prælo subijciatur, eum non tantùm perspicaci Iudicio, sæpius atq; sæpius examinare, vel etiã amicos iudices adhibere, scriptorũ vt constet ratio, quæ aduersus improborũ calumnias tueri nomen nostrum possit, ne cùm is peruenerit in doctorũ manus, reprehensionibus eorum castigatos nos esse pudeat, cùm alioqui mitiùs ijdem nobiscum agant, si sedulò nauatam à nobis operam fuisse cognouerint, vt nihil relinqueretur, quod summa diligentia nostra effici posset. Vt ergo quàm plurimæ numorum species in hoc libro spectarentur, vndecunque licitum est, incredibili cura illos ego coaceruaui, & conquisiui è diuersissimis locis, partim pretio, partim amicorum liberalitate, partim alijs quibusdam occasionibus, infinito labore, & varijs modis id consecutus, quod venabar, & in Italia, & alijs extra Italiam regionibus Romæ, Neapoli, Venetijs, quidquid eximium foret perscrutatus. In ijs autem clarissimis ciuitatibus, cùm nihil non, cuius habendi copia fuit, nactus essem, aliò proficisci visum est, tum vt externorum mores, & locorum, in quibus habitant, situs explorarem: tum vt augendo libro meo raros Numos adipiscerer. In Germaniam ergo transij, vbi cùm aliquandiu restitissem, magno commodo meo, quod optabam, contigit, Numorum haud minus excellentium, quàm quos Italia suggesserat, licet pauciores ij fuerint, facultas, & præsertim Augustæ Vindelicorum, vbi aureorum & argenteorum copiam tantam conspexi, maximè in ædibus amplissimi domini mei, cui hanc Epitomen consecraui, vt fidem omnem tantus numerus excedat: Præterea, bibliothecam instructissimam Latinis, Græcisq; voluminibus, & alijs multis exemplaribus, quæ nondum in lucem prodierunt, maxima pecunia redemptis. Augetur hæc quotidie & libris omnifariam conductis, quos (licet innumeros) nisi tædiosum lectoribus fore putarem, velut Indice quodam nominare velim, ac perstringere, & doctorum Operibus, quæ ij certatim vndiq; Domino bibliothecæ offerunt, perspectam & famosam eius amplitudinem celebrantes, ac gloriosissimi viri dignitate sese protegentes, maximis ab eo beneficijs acceptis. Illi namque iudicium singulare à Natura tributum est, à fortuna diuitiæ concessæ sunt vberrimæ, quibus adiumentis, haud mirum est, si tantum famæ ac nominis per vniuersas orbis partes sibi comparauerit. Eius benignitate tantisper, dum in Germania vixi, quidquid expetebam, liberaliter & comiter suppeditatum est, vt maximam ingrati animi notam mihi prorsus inuram, si hunc laborem meum illo dignum, alioqui nunquam id facturus, patrono meo non dedicem. Nam exiguus mole quamuis hic Liber sit, plenus est tamen imaginibus virorum Illustrium, nec angustior, nec minoris æstimandus eo, quem

Sadoletus Leoni Pontifici nuncupauit, ab illo tam honorificè susceptum, vt nihil suprà, nimirum quia non ignoraret, magni faciundum esse opus eiusmodi tam laboriosum. Quòd si Sadoleti Libellus is tantum placuit, in quo numero hic sit habendus, Iconicis Imperatorum ditatus imaginibus, ac subdito vitæ cuiusque compendio, ne ipse mihi suffenus sim, expendunto cæteri. Sed vt ad propositum redeam, cùm Numos antiquos dispexissem, quorum vsus aliquis fuit, nec tamen suppeterent aliqua Imperatorum Simulacra, diplomata, & publicas tabulas ab ijs impetratas, &, quod fieri solet, eorum imaginibus cera fictis appensísq; visendas, consectatus sum & amicorum opera nactus, auctiore illa mea diligentia Libro. Rationes cæteras, quibus idem sum conatus, sciens prætereo: & quod id prolixius futurũ sit, & quod in hac re homines exercitati statim id agnituri sint: vnum hoc tacere non possum, nihil in Germania me fugisse, quod indagandum fuerit. Inde verò in Galliam discedens, Lugduni nobilem hominem, in ea ciuitate genitum Gulielmum Chaulium conueni, historiarum peritissimum, & tam rari Iudicij in explicandis auersis numorum Imaginibus, vt inter primos referatur, nec iniuria, tum propter insignem eius memoriam, tum propter exquisitum iudicium. In eius magnificentissimis ædibus (quod minimè putaui silentio tegendum esse) admirabilem numerum contuitus sum Numorum antiquorum omne genus: sed Augusti principis imagine percussos ducentos, aureos, æreos, argenteos, quorum auersam partem loco suo sum expositurus. Admirationi id quidem fuit nec sine caussa, maximè tamen ego sum admiratus industriam Quæstoris Ioannis Grolerij, nobilis hominis, qui Lutetiæ viuit: eum Quæstorem Mediolanensem vocant multi, quòd dum ea ciuitas foret in ditione regis Galliarum, Quæstorem illic egerit. Hunc fama & celebritate nominis illustrem, multa supra cæteros euehunt. Primùm, quòd aureos, argenteos, æreos Numos, paruos, amplósq; infinitos congesserit, integerrimos & incorruptissimos, cum maximis quibusq; thesauris conferendos. Deinde, quòd ingenij bonitate, & doctrina hanc scientiam sit adeptus. Tertiò, quòd cùm omnibus sit charissimus, fortunis quibus affluit, in id potissimũ vtitur, vt ænea & marmorea signa & Numismata, quæ antiqua sunt, vndique conquirat, omnibus hanc operam illi dantibus, & vltrò, quæ hinc illinc eruere potuerunt comportantibus, Numorum, paruulorum præsertim, stupenda apud eum copia, vt interim bibliothecam taceam Græcis & Latinis libris ditissimam, aliásq; viri tanti dotes rarissimas, quas oratione complecti mihi non licet. Huius solius opes nondum excussi, quod vnum arbitror mihi restare. Eius verò facilitatem & humanitatem auxilio mihi fore spero,

cùm auersam Numorum partem ingenti Volumine, quod ante paucos dies ex officina mea prodibit, nempe diu iam inchoatum, explanaturus sum tam diffusè, & copiosè, vt nihil prętereà queat adijci, cuius non meminerim, maximè cùm notabilis fuerit imaginum species, & ad historiam pertinēs. Interim autem Numos à Gręcis cusos seligo, & accumulo, quàm plurimis iam congregatis, vt de ijs Epitome aliquando tandem mihi scribatur, non minus iucunda & grata doctis viris futura, quàm libellus hic. Sed ne perturbet tam multiplex labor eodem tempore susceptus, in sua tempora partiri, & ordine perferre decretum est. At enim opusculum hoc non pœnitenda cura & diligentia consarcinatum, Operis magni compendium est, ad vmbilicum ferè iam perducti, quo Imperatorum singulorum vita, longa prolixáq; oratione traditur, illo & ordine & labore, quo nec veterum, nec eorum, qui nostro seculo floruerunt, quisquam descripsit. Diuiditur autem in quatuor Tomos, appositis ad finem vitę cuiusq; Imperatorum Numis, illorum effigie signatis, cum adnotationibus, & numeris, qui marginem impleant, & historię diuersos locos ad Numorum explanationem facientes, indicent. Verùm, quoniā laboriosissimum id est, Epitomen potiùs, quàm absolutum illud Opus (tametsi aliter consueuerim) diuulgare constitui, nouo more id mihi licenter fortassis permittens, ampliore illo Volumine pene iam absoluto, sed nondum sublata prorsus cura, qua Numorum auersę effigies, inceptum magni diuturníq; laboris, cum historiarum enucleatione disquiro. Vos igitur tantisper, dum id molimur, vel potius manu summa polimus, hoc libello fruimini, quem à C. Iulio Cęsare auspicatus sum, subdita Imperatorum singulorum historia, quàm fieri potuit breuissima: sed quę rerum ab illis gestarum pręcipuas contineret, aduocatis eorum propinquis, & affinibus, qui iure sanguinis, imperium vendicare potuerunt, interiectis Orientis Imperatoribus, quod aggredi propter Numorum raritatem ausus adhuc nemo est, interpositis & Tyrannis multis, qui Galeni tempore & aliàs, in Orientis regionibus, Occidentisq; prouincijs rebellarūt, ac Imperij maiestatem discerpserunt, nominatis fœminis illustribus, quę Imperium affectarunt, eum ordinem persecutus ad Carolum vsq; v. Et quoniam Numos sub ijs percussos, reperire non perpetuò datum est, aut quia tam breue fuit, quo rerum potiti sunt, tempus, vt memoriam suam sculptura Numorum ij non transmiserint: aut quia sepulta diu fuit ars illa, monetarijs nullis id peritè, ac scienter, vt anteà, tractantibus, aut quia aliud quidpiam interuenit, quod eam commoditatem et nobis & illis eripuerit, vbicunq; defuerunt illorum effigies, vt Lectores & antiquarum rerum curiosos explerem, inscriptione

Numor

Numorum, orbem circundedi, ac se decussantibus lineis quatuor notaui, adposito etiam Indice Numorum, quos nemo alius ostenderit, ac protulerit ante me. Hac autem in re iam inde à Iulio Cæsare, ad Neruam vsque, Numos ego mediocres, non tritos hos & vulgi manibus deletos monstraui, sed infrequentes ac eximios. A Nerua verò dum ad sequentes Imperatores progredior, amplos & inusitatæ magnitudinis Numos, cum auersæ partis excellentissimis historijs, ac imaginibus, vt ad finem vitæ singulorum commonefeci lectores, haud vsus peruulgatis exemplaribus, & ab alijs proditis, sicut ab omnibus cæteris, qui hactenus in hoc argumento laborarunt, factitatum fuit. Primus quidem omnium Romæ Iacobus Mazochius Librum à Sadoleto Cardinale conscriptum, & Leoni summo Pontifici dicatum, edidit hoc titulo, ILLVSTRIVM IMAGINES. *Eum secutus est anno 1526. Argentorati Ioannes Nutichius, qui ex superiore mutuatus est, vel potiùs transsumpsit vniuersas imagines, idémq; rursum anno 1534. hoc ipsum opus suum denuò prælo tradidit, sed deteriùs, quàm quod anteà typis excuderat. Postremò anno 1550. Lugduni liber quidam ad exemplum superioris, cuius mentionem habui proximè, delineatus, in publicum exijt, tam ineptus & inscitus, vt ne aspici quidem, nedum legi mereatur, acceptis verbis Nutichij, quibus vitam Imperatorum persequitur, & Ausonij carminibus, sed figuris vniuersis tam absurdis & inelegantibus, vt eximendæ illæ vel omittendæ potiùs fuerint, quàm inserendæ. Eas præterea, quæ in Munstheri Cosmographia Imperatorum singulorum vitæ præfixæ sunt, quæ in Heluetiorum, Cuspiniani, Abbatis Vispurgensis historia visuntur, aliorúmq; multorum libris, inuere..nda temeritate, ac ignorantia sculptorum corruptas, & libros ipsos, quantumuis doctè scriptos inquinantes potiùs, quàm exornantes, quod necessum sit, vbi principum hominum formas nos designare volumus, & ad illorum vitas appingere, aut è Numis antiquis, aut è sculpturis, aut ex æneis marmoreis vel statuis, expressis studiosè, & iconicam figuram prorsus imitantibus, eas repræsentare, non autem vt libitum est, quantumuis egregiè cælare, ac sculpere didicerimus, nos ipsis nobis affingere, & excogitare. Nam qui vana ea persuasione gloriam aucupantur, & ea fraude impostur áque homines rerum imperitos lactant, imagines Imperatorum vbique dispergentes, nec graui iudicio considerantes, panciores dum certæ sint, multis illis tumultuarijs, & alienis præferendas esse, & seipsos traducunt, deridendósq; retegunt: tantum abest, vt inde nomen reportent, & historias ipsas fœdant, non decorant. Ego certè in hoc Opusculo propter rationes & incommoditates, quas nuper lectori planas*

feci, illorum vestigijs, qui per vulgus serpunt, insistere nolui, quod aliôqui facillimum erat, si non displicuisset, ob insitum mihi iudicium, & longum in his rebus meditandis vsum. Verùm paucas tantum imagines proposui, & eas verissimas, fidéque dignissimas, quas vtinam sculptor tam bene sit æmulatus, quàm ego rectè mea ipsius manu depinxeram, cùm alium neminem magis sedulò id curaturum existimarem. Verùm nonnunquam accidit, vt leuia quædam per imprudentiam errata committantur, mota loco, peruersá ve, vel vna, vel altera litera, velut in HELIOGABALO *contingit: pro qua voce* HELEOGABALVM *scripserunt. Ad errores huiusmodi leuiusculos, quibus à me deprehensis mederi iam nimis serum fuit, licet mihi non sint imputandi, vt tamen conniueant, doctos precor, tum quia vix fieri potest, vt cùm aliqua singuli peccemus, quod multorum labore conficitur, non alicubi sit maculatum: tum quia nihil est tam perfectum, & elaboratum, in quo nõ aliquid reprehendat aut veritas ipsa, aut malitiosa calumnia, aut inuidia, quibusdam vt librum respexerunt, iudicium ferentibus, & priùs, quàm legant, damnantibus: alijs vndecunque sors obtulit, legere incipientibus, nec quid præcesserit, vnde singula pendeant, quæ mens Autoris fuit, animaduertentibus, ineruditis omnibus peruicacius pro tuenda sua opinione contendentibus, doctis verò modestissimè sententiam suam pronuntiantibus, neminem vellicantibus, vt quos non lateat arduum atq; difficile esse, quicquam sic absolutum edere, vt à cunctis laudetur, & ab omni reprehensione tutum sit (nostrum quemuis haud ægrè decipi) ab ea molestia sibi nihil metuere, qui præclarum nihil adoriantur. Cùm ergo, vt inquit Plinius, Liber nullus tam malus sit, quin prosit aliqua ex parte, docti homines qui ex aliorum scriptis, vel minimi pretij, nonnihil vtilitatis colligunt, inditam natura bonitatem illam suam, & æquitatem mihi non sunt denegaturi. Illis autem certò scio, inter legendum occursura multa, quæ non fastidiant. Iam verò Indices adeo Numorum, qui in alijs editionibus desiderãtur, & huic additi sunt, cum adiectis numeris locum vbi repositi sunt, & historiæ sedem commonstrantibus.*

INDEX NVMISMATVM
QVÆ NVSQVAM ANTEA
IN LVCEN SVNT
EDITA.

D. N.

INDEX IMPERATORVM SEV CAESARVM, EO IPSO ORdine, quo sibi ipsis inuicem successerunt. Subiecta est cuiusque Imperatoris familia, quam minutioribus characteribus obiter distinximus.

Caius

Eiusd

Theod

Theoph

ALEX

Soph

FINIS INDICIS CONtexti eo ordine, quo Imperatores sibi successerunt.

INDEX RERVM, VOCVM ET SENTENTIARVM MAXIME INSIGNIVM, ORDINE ALPHABETICO DIGESTVS.

*

Henr

Liter

Numiſm

P. Ael

RVF

Titi

FINIS.

Errata sic corrigito.

In Epistola, folio .3 facie 1.linea 20. lege repræsentare ead. 21.ad 25. excudere fo. 4. fa. 2. linea 28. lege Gallieni vltima. curiosos fol.4.fac.1.lin.13. Huttichius.& 19.Huttichii.23.Vrspergensis.

Pagina 2. linea 20.lege redintegrauit 15.4.partem. 14.17. Spartiaci 17.22.deglubere 41.13. Aulicam anum 45.23.Intempestiuæ 46.7.esse 56.17.septisolium 59.30.diruere, pro solo affligi 65.31. apoplecticus 82.14.expunge VERVS 89.prima dictio,& 90.26 Heluius 95.24.palo 95.penult.palo 102.9.dixisset ead.31.ab Anton. 103.1.duabus columnis 105.17.solarem 27.tessellatum 107.13.omnium hominum & 114.16.palliatæ 118.1.imaginibus 119.1.MICAEA 120.16.exercitu 132.32.columnis 134.16.hęc scripta 136.31.palliatam 146.22.prorsus 147.vlt.cernuntur 148.18.turrita 154.24.Gothicum 168.vlt.multa 191.13.AETERNA 205.penult.& vlt.Radagastum 208.33.Alia 212.pri.mitis 210.8.Eudocia ead.Genserici 224.29.palliatum 31.palliatæ 226.vlt.palliatam 233.5.Chersonnesum 241.25.cœpit 248.26.princeps ead.penult. Gallienam 249.8.palliatum 250.vlt.palliatam 252.25.Hermingardis 256.33. Imperatoris 261.14.petulantiæ 267.7.palliatam 277.21.stolatam 283.5.efflictim 288.4.exhibuit 301.4.Guilielmo 332.10.Matthias 333.4.consortem 336.3.Andronicum 336.11.Mahometes 337.13.militum ead.14.Matthia.

DE VITIS IMPERATORVM SEV CÆSARVM, AC EORVM EICONIBVS ET NVMISMATIBVS, EPITOME.

*



C. IVLIVS CAESAR, C. Mario,& L. Valerio Coſs. Romæ natus eſt. Literas Latinas Græcáſq;, tum & præcepta dicendi à Marco Antonio Gniphone, homine Gallo, magno ingenio,& ſingulari memoria viro edoctus eſt. Fuit namq; Cæſar admirabili docilitate: & ad dicendi facultatem appoſitus, & elegantiſsima quædam ciuilis eloquentiæ vis à natura inſita illi fuit, in qua ſplendidiſsimè adeò elaborauit, vt ſecundum abſq; vlla contentione locum obtinuerit,& Cicero ipſe dubitarit,cui Cęſar deberet cedere. Annum agens decimumſextum, cùm vndiq; æſtuarent Syllanæ tempeſtates, eò quòd affinitate Mario coniunctus erat, Vrbe eiectus eſt. Prima ſtipendia de more nobilium Romanorum fecit,in M.Thermi Prætoris contubernio: in Aſia primùm,deinde circa Mytilenas,in quarum expugnatione ciuica Corona à Thermo donatus eſt. Poſteà in Cilicia ſub Seruilio Iſaurico breui tempore meruit. Comperta enim Syllæ morte, properè Romam rediit. Vnum & viceſimum agens annum,in foro eloquentiam exercuit. Tum Quæſtor creatus vlteriorem Hiſpaniam ſortitus eſt. Dehinc Aedilis,ſpectacula gladiatorum, venationes & ludos, pompas atq; conuiuia profuſiſsimis ſumptibus exhibuit. Defuncto Metello Pontifice Maximo, Pontifex creatus eſt.

Posteà Prætor effectus. Post Prçturam Præses vlterioris Hispaniç factus, sed nō expectato suo successore priusquàm annus finiretur, Romam profectus, Consulatum cum M. Calphurnio Bibulo obtinuit. Post Consulatum, Imperium Galliarum cum Illyrico impetrauit per quinquennium: vbi maxima perfecit bella. Non totum belligerans decennium, omnem fermè Galliam, quæ inter Alpes & Rhodanum, Rhenum & Oceanum est, perdomuit. Octingenta cepit oppida, trecentos subiugauit populos. Aggressus deinde est Britannos, Romanis antea ignotos. Contra Heluetios Germanósq; exercitum duxit, belláque generosissima confecit. Magnum Pharsalico prælio fudit Pompeium. Confectis bellis quinquies triumphauit: Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum, sequētem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, nouissimum Hispaniensem diuerso quenque apparatu & instrumento. Ordinationem dehinc annorum, & fastorum dierum instituit. Medicos & omnis facultatis professores ac eruditos, iure ciuitatis donauit, cùm ipse foret eruditissimus. Ius laboriosissimè & seuerissimè dixit. Repetundarum conuictos etiam ordine Senatorio mouit: vestium ac victus sumptus superfluos abscidit. Senatum compleuit, ac Patricios elegit, omniáq; officia collapsa reintegrauit, & Magistratus in bonum ordinem redegit. Multa de ornanda instruendáq; vrbe, ampliandóq; Imperio cogitauit: sed morte præuentus finire non potuit. Consul per decennium continuum designatus fuit, Dictator continuus. C. Octauium sororis Iuliæ nepotem, hæredem instituit, etiam in familiam, noménq; adoptauit. Statuam suam inter Reges locauit, in Curia sede aurea vsus, diuinos sibi honores nonnullos fieri passus est, nec adeuntes se honore dignatus est vllo. Ob id inuidiam sibi maximam mouit. Maturata est dudum in eum concepta conspiratio, per sexaginta Coniuratores. Quorum principes C. Cassius, M. Brutus, & Decius Brutus Cæsarem in Curia vigintitribus vulneribus interfecerunt. Anno ætatis suæ quinquagesimosexto, Dictaturæ verò initæ anno tertio fuerat animus coniuratis, corpus occisi, in Tyberim trahere, bona publicare, acta rescindere. Sed metu M. Antonii Consulis, & Magistri Equitum Lepidi destiterunt. Maxima pompa funus in campo Martio celebratum, ac rogus iuxta Iuliæ tumulum extructus est, luctu publico, summísq; honoribus corpus combustum. Columna viginti pedum lapidis Numidici erecta, cum inscriptione PARENTI PATRIAE.

PATRIAE. circa quam longo tempore ſacrificauere quidam Coniuratorum domus deſtructæ & incenſæ, plures trucidati. Qui euaſerunt, ſibiipſis manus intulere, nullúſq; percuſſorum ferè triennio ſuperuixit. Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulò pleniore, nigris vegetíſq; oculis, capite caluo, & ob id laurea ſemper ornatus, valetudine proſpera, in extrema ætate, vertiginoſus, & bis morbo comitiali correptus. In cibo & potu inſignem parſimonia, viniq; parciſsimum, pronum tamen in libidines (Nam & plures illuſtres fœminas, vtpote Euriem Mauram Bogudis Regis Mauritaniæ vxorem, & Cleopatram Aegypti reginam corrupit) fuiſſe autores tradunt. Eloquentia militari excellentiſsimus, quod libri atq; Commentarii à ſe ſcripti, ſatis ſupérq; teſtantur: laborum atque periculorum tolerantiſsimus, audax, rei militaris peritus, conſtans & ſeuerus, & in primis clementia longè clariſsimus.

Aureus hic Numus à poſteriore parte continet Imperatorem corona Laurea ornatum, dextráq; ramum Lauri tenentem, ſtantem in curru triumphali, qui Elephantis quatuor trahitur, cum inſcriptione: TRIVMPH. GALL.





L. CAESAR, Cæſaris Dictatoris pater, Prætor, & prætura populi Romani functus, filio agente annum decimumſextum, Piſis, dum manè calcearetur, nullis euidentibus cauſis, nullóq; manifeſto morbo extinctus eſt.

AVRELIA, C. Cottæ filia, Cæſaris mater, fœmina primaria, ſingulari pudicitia mulier, purè & eleganter Romanè loquens, P. Clodium amore captum Pompeiæ vxoris Cæſaris, muliebri habitu indutum, & ad ſacra bonæ Deæ nocturno tempore ingreſſum deprehendit, cúmq; fugere coëgit.



COSSVTIA diues admodum, ſed è familia equeſtri, puero penè adhuc Cæſari deſponſata fuit, quam L. patre amiſſo per renuntiationem in ſponſalibus dimiſit.

CORNELIA Cinnæ quater conſulis filia fuit, ex qua Iuliam filiam genuit: Hanc Corneliam vxorẽ Cæſar mirùm amauit, útq; eam repudiaret, nulla re à Sylla Dictatore perſuaderi potuit, aut compelli. imò & defunctam pro roſtris laudauit oratione cultiſsima: magnam hinc popularem beneuolẽtiam aſſecutus. Eius etiam fratrem L. Cinnam, qui in ciuili diſcordia Lepidum ſecutus, exulauerat, reduxit.



POMPEIA Q. Pompei filia L. Syllæ neptis, quam Cæſar in locum Corneliæ ductam, repudiauit, diuortiúmq; fecit, ob P. Clodium muliebri habitu in ſacris bonæ Deæ deprehenſum, qui deperiſſe eam ferebatur, atq; adulteraſſe.

CALPHVRNIAM L. Piſonis filiam, qui ſe in conſulatu ſequebatur, Cæſar in vxorem duxit. Vltimum hoc ipſius fuit matrimonium, in eo enim occiſus eſt. Hæc multum Cæſarem amauit, plurimúmq; eo die, quo in Senatu occiſus eſt, ſomnio territa (Nam maritum

ritum in gremio ſuo confodi ſomniabat) hortari cœpit, ne Curiam ingrederetur. Poſt Cæſaris verò occiſionem, ad ædes M. Antonij ſe contulit, cùm pulcherrimam orationem pro roſtris de laudibus Cæſaris habuiſſet, pecuniámq; à Cæſare relictam tranſtulit, & penes eum depoſuit.





CLEOPATRA Aegypti Regina, à Pothino regno eiecta, Cæſarem ad ſe amandum allexit: qui ſplendore formæ, & quadam ſermonis gratia victus, eam non niſi maximis honoribus, præmiiſq; auxit, ac ita fratri reconciliauit, vt pariter regni gubernacula teneret. Mox M. Antonium quoque Imperium Aegypti occupantem, obſequio corporis deuinxit. In bello cum Auguſto & Antonio, cùm eſſent ſuperati, Alexandriam confugerunt: vbi ſe Antonius interfecit. Cleopatra viua capta, cùm aſſeruaretur in triumphum, paulò pòſt in vinculis, aliâs in ſepulcro Antonij viri ſui, clàm admotis ſerpentibus vberibus ſuis, concidit, Anno ætatis ſuæ trigeſimonono.

EVRIES Maura, Bogudis Regis Mauritaniæ vxor, à Cæſare adamata, multis ab eo beneficijs affecta eſt. Huius vir Bogud Rex Mauritaniæ, in bello Africo enixè iuuit partes Cæſaris.




IVLIA, Cæſaris, & Corneliç filia, C. Pompeio poſt reconciliatio-

 nem,

nem, licet antea Seruilio Cepioni desponsata fuerat, in matrimonium collocata est. Mirus fuit Pompei in hanc amor, adeò, vt ingruente bello ciuili, ab amicis vrgentibus, vt eam à se dimitteret, non induci potuerit. Immaturum hæc edidit partum. Nam comitialibus ludis, cùm saucii quidam, cæsíq; nonnulli, ad Pompeium venissent, eúmq; sanguinis contactu cruentassent, vestem mutandam petiit. Qua in re cùm tumultus seruulorum Iuliam portantium, cursúsq; permagnus fieret, illa, quæ tum grauida erat, toga inspecta cruenta, collapsa semianimis est, víxq; id tulit. Ex hac turbatione metúq;, immaturum ferunt partum editum. Iterum ea grauida facta, fœminam peperit, atq; è dolore pariendi mortem obiit: cui honos maximus à populo est habitus, vt in campo Martio sepeliretur. Nata etiam non multos post dies matrem secuta est.

CAESARIVS C. Cæsaris ex Cleopatra filius. Hunc C. Cæsar suo nomine appellari passus est, & nonnulli Græcorũ similem quoq; Cæsari & forma & incessu tradiderunt. Missus est à matre Cleopatra cum ingenti auri argentíq; copia in Indiam: sed post mortem Cleopatræ à Rhodone pædagôgo per fraudem, quasi Cæsar eum in societatem Regni vocaret, reductus, ab Augusto est interfectus. De quo cùm sententias amicorum sciscitaretur Augustus, dixisse Arrium Philosophum ferunt: NON ESSE PROBANDAM MVLTITVDINEM CAESAREM.





MARTIA Iuliæ Cæsaris amitæ mater, ex qua generis Regij se esse dicebat, originem nempe trahens ab Anco Martio, quarto Romanorum Rege.

IVLIA L. Cæsaris & Aureliæ filia, Cæsaris Dictatoris soror, fœmina pudica, M. Accii Balbi Aricini, Senatoris clarissimi vxor, C. Octauiani Augusti auia.

MANT







M. ANTONIVS, OCTAVIVS, M. LEPIDVS Triũmuiri, post diuersa bella inter se gesta, ab odio in amicitiam circa Labinium fluuiũ Mutinensis agri conueniunt, triduo eo in loco commorati, de diuisione imperii, déque cæteris agitauêre rebus, sic imperium quemadmodum paternam quandam hæreditatem inter se diuidentes: Antonio Galliæ, Lepido Iberia & Lybia, Octauio Italia, Sardinia, & Sicilia obtigere. Antonium, Cæsarémq; Cassio & Bruto bellum inferre, Lepidum in futurum consulatum gerere, & ob ingruentes necessitates in vrbe moram agere, decretum est. Destinantur ad hæc duodeuiginti vrbes Italiæ militibus distribuendæ, in quibus agri & domicilia singulis assignarẽtur. Visum est illis prætereà hostes proprios interimere, ne hæc ipsa statuentibus impedimentum possent afferre, & bellum exterum conficere. Hi igitur tres viri à seipsis constituti, quos morti destinassent, vnà conscripsere, ac potentioribus prætermissis, proprios delegere hostes, domesticos eorum videlicet, aut amicos, ad necem mutuò sibiipsis, & tunc quidem & posterius indulgentes. Elegere & alii alios: quidam ob inimicitiam, alii offensione solùm, aut inimicorum causa, aut amicorum inimicitia, aut habitationum splendore, aut diuitiarum excellentia commoti, cùm multis pecuniis ad bellum indigerent, omnes ferè vel

morte, vel bonorum publicatione damnauere. Proſcripti ſunt Senatorij ordinis circa trecentos, Equeſtris ordinis duo milia. Primus ex proſcriptoribus Lepidus fuit. Ex proſcriptis primus Paulus Lepidi ipſius frater. Secundus deinde proſcribentium Antonius: Ex proſcriptis L. Antonius eius patruus. Cæſar Antonio Ciceronem, Antonius Cæſari L. Cæſarem auunculum proſcribendum conceſsit. Omnes tunc vrbis exitus, aut portus, aut ſtagna aut lacunæ, aut quodcunq; aliud ad fugam ſuſpicioſum inerat, aut ad latendum per prouinciam profugis patebat, à turmarum Ducibus obſidebatur. Tanta erat vrbis confuſio, vt multi eſſent, qui ſe ſpontanea fame conficerent, qui laqueis finirent vitam, qui ſe aquis immergerent, aut è tecto præcipites darent, aut igne ſe abſumerent, aut iugulatoribus ſe offerrent. Inter proſcriptos & Cicero erat, cui caput & dextera manus, qua orationes illas luculentiſsimas in Antonium veluti tyrannum exarauit, abſciſſa, & ad Antonium delata ſunt, quę diu ſumma lætitia exultans, aſpexit. Vbi oculi ſatiati ſunt illo ſpectaculo, iuſsit per contumeliam in roſtris, quo in loco prius orare ſolitus erat, deponi. Ita Cicero eloquentia admirabilis, & qui Conſularem dignitatem obtinuerat, extinctus, ab hoſtibus contumeliis affectus eſt. Nec ſatis erant ad ſumptus proſcriptorum bona, nec omne vectigalium genus exactum: itum eſt ad virgines Veſtales, raptæ pecuniæ ad ædem depoſitæ, vxoribus etiam propinquíſq; necatorum ciuium bona per calumniam adempta. Eam prodigalitatem non paſſus Cæſar, diuiſionem pecuniarum cum Antonio fecit. Diuiſo etiam exercitu, M. Lepido cum præſidio relicto, Cæſar contra Brutum in Macedonia, Antonius contra Caſsium deſtinatus eſt. Vbi Caſsius & Brutus ab Antonio victi, ſibijpſis manus intulerunt. Confecto bello, Cæſar grauiſsima valetudine Romam reductus eſt. Antonius verò in Græciam ad cogenda ſtipendia, quæ militibus ſoluerat, cum exercitu ingenti contendit. L. deinde Cenſorino Græciæ præfecto, in Aſiam tranſijt. Captus amore Cleopatræ, Cæſare interea ſeditionibus & bello occupato, voluptatibus indulſit. Tum certior factus L. fratrem, & Fuluiam vxorem primò inter ſe diſsidentes, deinde cum Cæſare pugnantes, amiſsis rebus Italia eſſe pulſos, ad Italiam ducentis nauibus ſe conuertit. Per amicos verò, Fuluia eius vxore mortua, Cæſari reconciliatur. Diuiſum deinde eſt inter illos Imperium. Omnis ad Orientem tractus Antonio, ad Heſperiam Cæſari conceſſus. Lepido autem Africa permiſſa.

Octauia soror Cæsaris, Antonio in matrimonium collocata, Senatusconsulto Romæ nuptiæ celebratæ. Placuit deinde cum S. Pompeio pacem firmare. Fœdera igitur cum Pompeio sunt facta, vt ille Siciliam, & Sardiniam haberet, tutum mare à Pyratis præstaret, certúmq; modum Romam frumenti mitteret. Re composita Pompeius in Siciliam, Antonius in Græciam, mandata Cæsari rerum suarum cura, rediit. Rursus Antonius quibusdam calumniis contra Cæsarem irritatus, trecentis nauibus in Italiam properauit, sed Octauia sorore Cæsarem hortante, in gratiam redierunt. His compositis, Cæsar contra Sextum ducit exercitum, cúmq; prælio vincit, ac postea S. Pompeius, Pompei magni filius captus, iussu Antonii est interfectus. Cæsar Lepidum ob negligentiam, & insolentiam, priuatum imperatoris loco, relicto ei tantum Pontificatu, Romam misit, vbi ille, qui imperium tenuerat, ex Triûmuiris quondam vnus, ingloriam egit vitam. Defuncto Pompeio Antonius cum exercitu Armeniam iterum aggressus est, Parthósq; vicit. Regem Armeniæ multis promisionibus allectum, in vincula coniecit, eúmq; Alexandriæ in triumphum duxit. Rursus discordia inter Parthorum Medorúmq; Regem orta, à Medo Antonius ad bellum Parthicum rursus capessendum hortatus, amore Cleopatræ, illud quanquàm Parthi vehementer intestinis laborarent discordiis, & seditionibus, in aliud tempus differt. Cæsar interea Romę Octauiam solicitabat, vt ad Antonium nauigaret, quæ Athenas perueniens, ab Antonio propter Cleopatram neglecta, Romam rediit, mandatóq; Antonii, domo expulsa. Quod Romanis indignissimè factum videbatur. Augebat & Antonij odium diuisio illa tragica ac superba, Romanísq; moribus maximè aliena, Alexandriæ habita. In Gymnasio enim duos ex auro thronos gradibus argenteis posuit, in altero ipse, in altero Cleopatra consedit, filiis item paulò humiliores collocauit: Inspectante omni multitudine, Cleopatram Reginam appellauit Aegypti, Cypri, Lybię, Syriæ, vnáq; cum illa Cęsarionem ex C. Cæsare progenitum, regnare iubet, suósq; ex Cleopatra liberos, Reges Regum nominauit, ac Alexandro Armeniam, Mediam, & Parthiam: Ptolomæo Phœniciam, Syriam & Ciliciam assignauit. Hæc Cæsar sæpe in Senatu ostendens, sæpe in concione accusans, plebem contra Antonium concitabat. Antonius quoq; Romam aduersus Cæsarem misit accusatores. Primò, quòd pulso Pompeio, Siciliam adeptus, nullam eius insulæ partem fecisset sibi. Secundò,

dò,quòd eius nauibus ad prælium vsus esset, nullas vnquam restituisset. Tertiò,quòd M.Lepidum collegam exautorasset, & priuatum fecisset,omnes legiones & prouincias haberet illi traditas. Postremò, quòd Cæsar omnem fermè Italiam militibus suis diuisisset, & nihil reliqui militibus suis reliquisset.Quibus Cæsar ita respōdit:Lepidum ideò ab imperio remouisse, quòd nimiùm ob eam rem insolescere visus erat.Quæ bello acquisierit,se Antonio partem facturum,quando & ipse partem faciat sibi. Italiam militibus non esse dandam, cùm Parthiam & Mediam, quas Romanorum imperio adiunxerunt,vnà cum Imperatore suo præclarissimè pugnantes, habeant. Antonius in Armenia erat, cùm hæc renūtiata sunt ei, confestim tota mente se ad bellum ciuile conuertit. Collectis itaq; copijs,cùm Samum nauigans peruenisset,& aliquot dies commoratus in voluptatibus,Athenas venit. Cæsar audita Antonii celeritate, magnitudineq; copiarum, non satis ad bellum instructus,vehementer trepidauit. Sed vbi omnia satis parata Romæ visa sunt, Antonius id Imperium deponere iubetur,& aduersus Cleopatram bellum decernitur.Inde cùm iam ad bellum vtrinq: coirent, Cæsar priùs ad Antonium mittit, vt Italiam accederet,nec ampliùs tempus morando terat. Portus,ac litoris capessendi potestatem Italiæ facturum pollicetur, tantúmq; à litore cum suis copiis recessurum, vt tutò ex suis nauibus descendere, & castrametari possit. Antonius contrà iactabundus, Cæsarem in singulare certamen prouocat,quod si refugiat, placere omnibus copiis,vt olim Pompeius & Cæsar in Pharsalia dimicare. Ad Actium igitur,vbi Antonius naues habebat,Cæsar peruenit. Classis Antonii multis vndiq; difficultatibus circumuenta,multisq; carere visa, Antonium ad pedestre prælium ineundum hortatur. Sed vicit Cleopatræ voluntas, vt mari pugnaretur,ad fugam respicientis,non anxiè laborantis,qua ratione Antonius vinceret, sed qua ipsa rebus perditis, tutissimè euadere possit. Commissa est naualis pugna,in qua classis Antonii profligata, partimq; capta est. Pedestres copiæ victori se vltrò dedidêre. Antonius cum Cleopatra, fuga salutē quæsiuit,ac primò in Lybiam, deinde Alexandriam peruenit. Cæsar interea ab Agrippa,qui Romæ erat,reuocatus,in Italiam rediit. Belli dilatio facta est. Transacta hyeme in Aegyptum contendit, exercitum Alexandriam adducit. Antonius vrbe egressus, præclara facinora rei militaris ostentans, equites Cæsaris in fugam vertit. Postridie Antonius cum suis militibus egressus

egreſſus,in tumulo quodam conſedit,inter ſuam atq; hoſtium claſſem aliquot certamen conſpicaturus. Claſſes vt propius fuere,mutuò ſalutantes & amicè ſe recipientes, vna claſsis ex duabus facta, ad vrbem tendunt. In eodem etiam loco à ſuis equitibus deſtitutus, in vrbem rediijt, exclamans ſe à Cleopatra proditum illis ipſis, quibus propter illam factus ſit hoſtis, Deinde ingrediens cubiculum,& thoracem deponens, ô Cleopatra, inquit, doleo quòd ego ille tantus imperator, fortitudine ſuperatus ſim à muliere. His dictis à ſeruo,quem iampridem ad ſe necandum parauerat,petiit,vt ſe interficeret: ſed ille celeriter conuerſo ictu, per propria viſcera gladium tranſegit. Antonius deinde gladium accipiens ſeipſum quoq; interfecit.



ROMAE Numiſma quoddam, apud multos antea non conſpectum,ex ære Corinthiaco,tam puro,ſicut aurum vetuſtate penè conſumptum, tali magnitudine inueni. In cuius altera parte Triûmuiri toti loricati, & galeati in ſuggeſtibus, columnis diſtinctis ſedentes. A dextra parte Antonius, à ſiniſtra Lepidus, media Octauius. A tergo Antonii & Lepidi ſigna militaria, à tergo Octauij aquila poſita. A dextra parte Lictores cum faſcibus & ſecuribus aſtantes. A ſiniſtra Lena ferens caput Ciceronis Antonio: à tergo Lenæ ſeruus eius,dexteram Ciceronis afferens.In medio capita proſcriptorum,vtrinque duo vaſa plena pecuniis,ex quibus capita proſcriptorum deferentes, perſoluebantur, cum nulla inſcriptione.



OCTAVIANVS CAESAR AVGVSTVS, ſororis C.Iulii Cæſaris nepos,patre Octauio, matre Actia, M.T.Cicerone & M.Antonio Coſs. 1 x. Calend.Octobris, paulò ante Solis exortum,Romæ in regione palatii ad capita Bubula,natus eſt, à Iulio ex teſtamento in familiam adoptatus.Quadrimus patrē amiſit. Duodecimum agens annum, virili aſſumpta toga, auunculum in Hiſpanias ſubſecutus eſt. Poſt receptas Hiſpanias à Cæſare Apolloniam præmiſſus,ſtudijs vacauit. Morte deinde Cæſaris comperta, ſéq; hæredem conſtitutum,vrbę repetita,hæreditatē adiit. Comparatis exercitibus, vt necē auunculi vindicaret,actáq; Cæſaris tueretur, quinque bella ciuilia confecit. Aduerſus M.Antonium bellum geſsit,primum Mutinenſe circa Mutinam. Contra eundem Actiacū,circa promontoriū Actium. Secundum Philippenſe in campis Philippicis contra Caſsium & Brutum,Cęſaris percuſſores. Tertium Peruſinum contra L.Antonium M.Fratrem, circa Peruſiam. Quartum Siculum & nauale aduerſus Pompeium Magni Pompei filium. Externa bella duo omnino per ſe geſsit:Dalmaticum adoleſcens adhuc,& Antonio deuicto Cantabricum:reliqua per legatos adminiſtrauit.Strenuè omnibus geſtis,terra mariq; pace parta,Ianum à condita vrbe bis clauſum, tertiò clauſit. Vrbem pro maieſtate Imperii ornauit & excoluit, tutámq; in poſterum effecit, plurima opera publica faciens, præſertim templa,ædésq; ſacras,& fora iudiciaria.Lepido mortuo,Pontifex Maximus factus, annum confuſum negligentia, & incuria ſacerdotum & Pontificum, denuò ad priſtinam rationem redegit. Sacerdotia reformauit, abuſus correxit multos in Repub. Leges quaſdam retractauit, quaſdam ex integro ſanxit, Senatorum numerum definiuit, officia noua excogitauit, habitum veſtitúmq; priſtinum reducere ſtuduit,liberalitatem omnibus per occaſionem exhibuit.In reprimendis

pop

populi voluptatibus insuetis, seuerus fuit, spectacula omnis generis edidit. Imperium omne suum bifariàm diuisit, partem sibi asciuit, quæ scilicet, militum indigeret præsidio. regiones Barbarorum iugum detrectantes, partim populo dedit, regiones, videlicet pacatas. Ob id populo Romano fuit perquàm charus, imò dilectissimus, honoribúsq; magnis affectus, PATERQVE PATRIAE, & primus AVGVSTVS maximo consensu totius plebis, ac vniuersi Senatus, vocatus. Statuæ, ac pro eius incolumitate publica vota facta sunt. Dictaturam, vt assumeret, nullis precibus impelli potuit. A L. Murena, Fannio Cepione, & Ruffo Egnatio multis petitus insidiis, Nolæ tandem profluuio ventris, vt quidam scribunt, laborans, in osculis Liuiæ cum iis verbis: LIVIA NOSTRI CONIVGII MEMOR, VIVE, VALE, eodem in cubiculo, quo pater Octauius, exitu valde facili, obiit, Anno ætatis suæ septuagesimoseptimo, Imperii LVI. cùm regnasset cum Antonio & Lepido annos XII. solus Annos XLIIII. Corpus eius maximis honoribus ad Vrbem delatum, & postquàm crematum fuit, reliquiæ in Mausoleo sibi inter Tiberinum amnem, & viam Flaminiam extructo, impositæ. Fuit Augustus statura breui, corpore toto pulcher, & forma eximia per omnes ætatis gradus. Lenocinii omnis negligens, vultu sereno tranquillóq;, oculos habuit glaucos, claros magis ac nitidos, dentes raros & exiguos, capillos leuiter inflexos & subflauos, supercilia coniuncta: nasum à summo eminentiorem, ab imo deductiorem. Crure sinistro non perinde valebat, sæpius claudicans. Lithiasi etiam laborabat in vesica. Disciplinas omnes amabat. Eloquentiæ prima ætate fuit studiosissimus. Multa opera & pedestri & soluta scribens oratione, Græcarum literarum miro tenebatur amore. Eruditos sui seculi maximè fouebat, Vergilium præcipuè, & Horatium Flaccum Poëtas. Summa fuit in eo clementia, summa moderatio, ciuilitas, patientia, Parsimonia in victu, supellectile & vestimentis, summa continentia: nisi quòd in adolescentia, aliqua, non tamen libidine, sed ratione commisit adulteria. In partibus tamen cæteris vitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione vllius vitii.

Pacato toto orbe ab Augusto, Numisma tale argēteum excusum est. In altera parte Numismatis est templum ex quadratis lapidibus extructum, figura quadrata, quatuor habens in ascensu gradus, & qualibet parte quatuor ianuas clausas. Ex vtraq; parte ianuæ cuiusq;

est columna Corinthiaca, altitudine ianuæ æqualis. Hæ columnæ Tympanum sustinent. In Tympano sunt exsculptæ imagines paruæ alicuius in solio sedentis, & aliorum flexis genibus precantium. Ex vtraq; Tympani parte ornamenti loco fructus varij generis exsculpti pendere videntur. Supra Tympanum cancelli, seu fenestræ duodecim spectantur. Supra fenestras Zophorus, in quo varia animalia saltantia exsculpta, positus. Ex qualibet parte templi quatuor aliæ sunt columnæ Corinthiacæ strigatæ altitudine ad Zophorū pertingentes, circundantes quasi templum, quibus Zophorus & tectum templi incumbit. Supra Zophorum corona est, cui parui globi impositi. In superficie tecti caput cum pectore Iani quadrifrontis collocatum est, cum inscriptione: PAX ORBIS TERRARVM. Et inferius subscriptum: IMP. PERPET. S. C. Hæc figura templi planè dissimilis est illi, quæ est in Numismate Neronis.





OCTAVIVS, Pater Augusti, ordinis Senatorii, re & æstimatione magna fuit. Macedoniæ præfecturam summo cum honore administrauit. Nam fugitiuos Spartaci, & Catilinæ manum Thurinum agrum tenentes in itinere deleuit, negotio sibi in Senatu extra ordinem dato. Prouinciæ præfuit non minore iustitia, quàm fortitudine. Decedens Macedonia, ante, quàm consulatum peteret, repentina morte Nolæ sublatus est, relictis liberis Octauia maiore ex Ancharina, & Accia Octauia minore, & Augusto quadrimo.

ACCIA, M. Accij balbi Aricini, Senatoris clarissimi filia, Iuliæ sororis C. Cæsaris filia, mater Octauiani Augusti, post mortem Octauii nupsit Marcio Philippo consulari viro: primóq; consulatu Octauii obiit, superstitibus liberis, Octauia maiore, & minore, & Octauiano.

CLAVD





CLAVDIA P. Clodii & Fuluiæ filia, M. Antonii priuigna, vt post proscriptionem Antonius & Augustus necessitudine aliqua necterentur, vixdum nubilis, Augusto in vxorem data est. Simultate deinde cum socru exorta, ante bellum Perusinum, intacta adhuc virgo, ab Augusto dimissa est.

SCRIBONIA de familia Libonũ nupta antè duobus consularibus viris, ex altero mater, vxor Octauiani Augusti, mater Iuliæ, peruersitate morum planè intolerabilis, ob id ab Augusto repudiata.





IVLIA, Augusti & Scriboniæ filia, primùm M. Marcello Octauiæ sororis Augusti filio, vix pueritiam egresso nupta. Eo mortuo intercessione Octauiæ, M. Agrippæ in vxorem tradita. Ex quo Caium, & Lucium mox ab Augusto adoptatos, quorum alter in Lycia, alter in Massilia periit, & Agrippam posthumum, sustulit, filias quoque duas, Iuliam & Agrippinam, omnibus stupris flagitiisq; expositas, in insulam Pandateriam, cum filia, vbi & vini, ac omnis delicatioris cultus vsus ademptus, ab Augusto relegatas. M. Agrippa Iuliæ filius, ob ingenium sordidum, & ferox abdicatus, Surrentum est sepositus. Ex Surrento in Insulam, tanquàm in locum deteriorem deportari iussus est. Senatusconsulto etiam cautum, vt eodem in loco in perpetuum asseruaretur.

LIVIA DRVSILIA Tiberio Neroni antea nupta, ex quo etiã Tiberium & Drusum Nerones suscepit, Augusto petenti in matrimonium collocata, vnicè & perseueranter ab Augusto dilecta. Nihil liberorum ex eo habuit. Fœtus conceptus immaturus est editus. Mulier comis ad extremam ætatem vixit. Octuagesimum annum sine vllo morbo attigit. Mortua elata est adhibitis quibusdam imaginibus cum luctu mulierum Romanarum ad annum, iussu Senatus.





OCTAVIA, patre Octauio, & matre Ancharia nata, soror Octaviani Augusti, M. Antonio in coniugium tradita, ex eo duas Antonias maiorem & minorem suscepit. Deinde M. Marcello iuncta, duas filias, & C. Marcellum filium, Augusti generum genuit.

C. MARCELLVS, C. Marcelli & Octauiæ, Octauiani Augusti sororis, filius, vixdum pueritiam egressus, Iuliam Augusti filiam, in matrimonium duxit, & haud multò pòst obijt.



TIBERIVS NERO CAESAR, ex patre Tiberio Nerone, qui sub Iulio Cæsare bello Alexandrino Quæstor fuit, & matre Liuia Drusilla XVI. Calend. Decemb. M. Aemilio Lepido, & Munatio Planco Coss. natus est. Infantiam pueritiámq; habuit luxuriosam

xuriosam, deditus spectaculis gladiatorū & ludis, comes vsquequaq; parentum fugæ. Virili toga assumpta, se ad magistratus ac principatus honores accingit, quos ordine omnes adiit, Quæsturam, Præturam, Consulatum, Tribunitiámq; potestatē exercuit. Bello Cantabrico Tribunus militum, Tigranem Armeniæ regem regno restituit. Signa à Parthis Crasso ablata, recepit, Galliam anno ferè rexit. Dehinc Rheticum Vindelicúmq; bellum, tum Pannonicum, Germanicum, Illyricúmq; post Punica, bellorum omnium grauissimum, gessit, ob quę triumphauit, & ouans vrbem ingressus est. Defunctis Caio & Lucio, Liuiæ impulsu magis, quàm Augusti iudicio, quippe cuius mores & ingenium non probasset vnquàm, ab Augusto adoptatus, & successor ascitus est. Post mortem Augusti Imperium adeptus, primùm se liberalem ac modestum se gessit, in multis sese popularem aliquandiu exhibuit, adulationibus spretis, & contemptis, à nullo Imperator aut dici, aut appellari, voluit. Senatum, Senatorésq; omnes vsq; ad submissionē veneratus, humanitatis propè excedens modum, pristinámq; ferè libertatem exhibēs. Vectigalia, Monopolia, ædificia, delectum, exercitus, patrū more, decerni statuit, autoritate Consulum singula penè administrans. In omnibus se ciuilem admodùm etiam minoribus exhibuit, Præsidibus prouinciarum tributa suadentibus rescribens: BONI PASTORIS ESSE TONDERE PECVS, NON DEGLVDERE. Post adeptum Imperium biennio continuo extra Vrbem pedem non extulit: sed priuatus liberis, Campaniam, quasi nunquàm rediturus, tum Capreas secessit, in insulam Neapolitani sinus magnificentissimis ædificiis extructam. Reipublicæ curam abiecit. Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuit. Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis, Sarmatisq;, Gallias à Germanis vastari neglexit, non sine magno Imperii dedecore. Tandem vitia, malè diu dissimulata, detexit. Portentosæ libidinis fuit, adeò, vt nudas puellas mensæ administrare iuberet, aliáq; factu turpissima, nec relatu digna perpetrauit, vt omnium luxuriosissimus sit habitus. Vini fuit auidissimus, ita vt Caldius, Biberius, Mero, iculariter pro Claudius, Tiberius, Nero, sit dictus. Luxuriæ & ebrietati summam adiecit auaritiam, vt nunquam expeditionum militibus salaria exolueret, nihil exædificaret. Et, vt crudelitatem rapacitati annecteret, locupletiores omnibus facultatibus priuatos occidit. Multos excellentes ingenio

viros trucidauit: odiũ in propinquos, & neceſſarios exercuit: vtpote in Druſum fratrem, & Iuliam vxorem in exilium relegatam. Liuiam matrem ad ſe venire, niſi rariſsimè, paſſus eſt, nec defunctæ aliquem honorem exhibuit. M. Agrippam iuuenem, cohæredem ſuum, priùs, quàm mors Auguſti diuulgaretur, interfici iuſsit. Germanicum Druſi filium, Auguſti iuſſu ſibi adoptatum, veneno necauit. Agrippinam nurum relegauit. Non minorem crudelitatem in nepotes & amicos exercuit. Viginti numero principes, veluti conſiliarios ſuos conuocatos, vix tribus emiſsis, omnes perdidit, inhumaniter, ſæuéq; tyrannidem exercens. Poſtremò in Aſtura prope Campaniam in languorem incidit: tandẽ in villa Luculliana decimoſeptimo Calen. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, & C. Portio Nigro Coſs. obijt LXXVIII. ætatis Anno, Imperij XXIII. Morte eius ita lætatus eſt populus, vt clamaret eum in Tiberim proiiciendum. Romam tamen portatum corpus, publico funere crematum eſt. Vir fuit corporis ampli ac robuſti, ſtaturæq; proceræ, manu ſiniſtra agilior & validior, articulis ita firmis, vt recens & integrũ mâlum digito terebraret, caput pueri, vel adoleſcentis talitro vulneraret, coloris candidi, naſo oblongo, prægrandibus oculis, quibus etiam in tenebris videbat, valetudine proſperrima. Confectus ſenio acceſsit incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlceroſa facies, ac plerunq; medicaminibus interſtincta. Liberalibus artibus apprimè eruditus. Latina & Græca lingua eloquio inſignis, ingenio peſsimo, truci, auaro & inſidioſo.

In Tiberii Numiſmatis poſteriore parte extructum Mauſoleum eſt, quatuor in aſcenſum habens gradus, figura ſphærica, quinque apparens ianuis. In ſuperficie ædificii quidam globi eleuati, poſiti. In media ſuperficie ædificii quædam ſtatua conſpicitur. A dextra parte ſacerdos velatus ſtat, habens lituum in manu. A ſiniſtra alius velatus ſacerdos, Sympullum in manu tenens. Ex vtraq; parte ædificii, duo æquales obeliſci altitudine ædificio maiores videntur. In ſuprema obeliſci parte globus eſt, in quo Victoriç ſtatua, in dextra tenens manu lauream coronam, in ſiniſtra palmam, poſita eſt, cum inſcriptione: MEMORIA PERPETVA. Ab altera parte S. ab altera C. Inferius ſubſcriptum: MAVSOLEVM AVG. Et hoc Numiſma ex metallo fuit confectum magnitudine, quali apparet. Auguſti autem Mauſoleum ita conſtructum fuit. Duodecim habuit portas ſibi inuicem oppoſitas. In vertice, quem 250. cubitorum altitudine fuiſſe

volunt

volunt, æneum ipsius simulacrum fuit, ipsa quidem sepulcra, non admodum è terra tollebantur. Ex posteriori parte loca ad spatiandum pulcherrima habuit, lucósque amœnissimos, & viridissimos. In medio autem campi spatio busti stat ambitus, & hic ipse niueo perfectus lapide, in circuitu ferreos cancellos habens, & plantatas præ se ferentes Populos. Hodie marmor rotundum, quod in interiori erat parte, extat, & quemadmodum ex antiquis vestigiis eius loci coniicitur, tres erant muri æquè inter se distantes, ita vt multa prætereà sepulcra commodè à se inuicem disiuncta capi possent. In his ruinis marmor repertum est cum huiusmodi inscriptione: DIS MANIB. M. VLPIO MARTIALI AVG. LIB. A MARMORIBVS. Duo æquales obelisci iuxta Mausoleum fuêre, quorum vterque 42. pedum cum dimidio longitudinem continebat. Alter factus in via inter hunc ipsum locum, & Tiberim, alter post D. Rochi ecclesiam, terra opertus spectatur.





TIBERIVS NERO, Tiberii Imperatoris pater, sub Iulio Cæsare bello Alexandrino Quæstor, classi præpositus, plurimùm ad victoriam contulit. Quare in locum P. Scipionis Pontifex substitutus, ad deducendas in Galliam colonias missus est. In Triûmuiratu Antonii, Augusti & Lepidi Prætura functus est. Deinde L. Antonium Consulem, Triûmuiri fratrem ad Perusiam secutus, reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, vxorémque Liuiam Drusillam tunc grauidam Augusto petenti concessit.

LIVIA DRVSILLA Tiberii Neronis primùm, deinde Octauiani Augusti vxor, de qua suprá.



AGRIPPINA M. Agrippæ filia, neptis Pomponii Attici, equitis Romani, vxor Tiberii Imperatoris, ex quo suscepit Drusum. Vnicè & plurimùm hanc amauit Tiberius: sed inuitus, & quidem grauidam dimittere, Iuliámque filiam Augusti, cuius mores improbabat, ducere coactus.



DRVSVS, Tiberii Neronis Imperatoris ex Agrippina naturalis filius, iuuenis admodùm, morbo & intemperantia consumptus Romæ obiit. Tacitus veneno sublatum tradit, quod illi Seianus per Lygdum spadonem propinauerat.



TIBERIVS patre Druso natus, Tiberii Neronis Imperatoris nepos.

CAIVS



CAIVS CAESAR, ex Germanico,& Agrippina pridie Calend. Septembris, Germanico patre, & Fonteio Capitone coss.natus eſt.Imperium magis in gratiam patris, populo ac militibus commendatus,quàm propriis virtutibus aſſecutus. Sunt qui dicunt Tiberium eũ in dignitate ſubſtituiſſe, vt huius crudelitate ſuam obtegeret ſæuitiam. Imperium aſſecutus,Caligulæ cognomen à militari calceamento eſt adeptus,quia apud milites educatus erat. Vnde non ingratus militibus ab his legionum alumnus appellatus eſt. Ab initio principatus,quòd pietatem in cineres matris ac fratris, patris, patrui,ſororum,omniúmque propinquorum exercebat memoriam, ſummè popularis extitit, omnibus ſtuduit ſe obſequioſum præſtare,animi ſæuitiam crudelitatémque diſsimulans. Rerum geſtarum ſtudioſos,quos Tiberius relegauit,reuocauit omnes.Iuriſdictionem liberam Magiſtratibus reliquit,cenſus,vectigalia reformauit, incendiorum damna redintegrauit,multa ſpectacula,etiam nunquàm viſa ordinauit. Quorum gratia nunc pius, nunc caſtrorum filius,nunc pater exercituum,nunc optimus Cæſar eſt dictus. Tandem in inanem atque vanam ſuperbiam lapſus,ſe adorari, & vocari Latialem Iouem,paſſus eſt,propria ſibi ſacerdotia conſtituens,victimáſque & hoſtias expetens, tum in propinquos, in auiam,proauiam, omnem ſæuitiam exercuit.Tres ſorores ſuas conſtuprauit, vnámque ex eis etiam mortuam adamauit. Conſobrinum Iubæ Ptolomæi Regis filium iugulauit,Senatores multos interfecit:equites ac matronas,excitato tumultu ampliùs viginti eliſit.Concluſis multis horreis famẽ populo indixit: carceribus mancipatos, ſine criminis penſitatione interfecit omnes.Equitem Romanum obiectum feris,cùm ſe innocentem pronuntiaſſet, reduxit, abſciſſaq; lingua rurſus induxit. Parentes,filiorum ſupplicio intereſſe coëgit. Hanc ſæuitiam atrocita-

te,& verborum inuerecundia auxit, sæpe illud tragicum iactitans: ODERINT DVM METVANT. & illud, VTINAM POPVLVS ROMANVS VNICAM HABERET CERVICEM. optabátque cædem, famem, pestem, incendia, terræ etiam hiatum, vt sua tempora redderentur illustriora. Statuas illustrium virorum ad nihilum redegit; Homeri carmina comburere est conatus. Virgilium ignorantiæ, T. Liuium loquacitatis accusauit: quos vnà cum Iurisconsultorum scriptis exstirpare decreuit. Vetustissimis familiis sua insignia eripuit. Libidinis erat inexplebilis, ac luxuriæ portentosæ, vt neque masculis, neque fœminis parceret vllis. Omnibus honestis insidiabatur matronis, quas cùm maritis ad cœnam vocatis vitiasset, palàm in conuiuiis omnibus dixit, eárum has laudans, has vituperans. Cùm verò luxu & inutilibus sumptibus magnam auri vim consumpsisset, ad rapinam se conuertit, noua & inaudita exquirens vectigalia, testamenta diuitum irrita faciens, reósq; vna sententia quadraginta condemnans, turpes sic auctiones instituit. Vnicam fecit expeditionem in Germania, sed nihil bonum ac strenuum Imperatorem decens, fecit, molitus nefando consilio trucidare legiones, víxque à tam præcipiti cogitatione inhiberi potuit. In talem igitur feram & crudelem bestiam, non hominem, conspirationes aliquæ factæ, detectæ sunt. Tandem per Chæream Casium Tribunum, & Cornelium Sabinum XXX. vulneribus est confectus, Anno ætatis XXIX. Imperii III. cum X. Mensibus. Cadauer tumultuario rogo semiambustum, in hortis Lamianis, leui cespite obrutum: à sororibus tamen ab exilio redeuntibus concrematum. Vir fuit statura eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis, & crurum oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera. vultum natura horridum ac tetrum, etiam ex industria efferebat, componens ad speculum in omnem terrorem, ac formidinem.

In huius C. Cæsaris Numismatis posteriore parte, Corona est exploratoria (quali in expeditione Germanica, deuictis hostibus, milites victoriæ participes donauerat) ex lauro confecta, distincta Solis & Lunæ syderúmque specie. In medio coronæ sunt trophæa ex varii generis armis congesta, cum inscriptione, VICTORIA DE GERMANIS. S. P. Q. R.

GERMAN







GERMANICVS Drusi & iunioris Antoniæ filius, à Tiberio patruo iussu Augusti adoptatus, quinquennio quæsturam, post eam consulatum statim gessit. Missus ad exercitum in Germaniam, obitu Augusti nunciato, vniuersas legiones Tiberium Imperatorem pertinacissimè recusantes, & sibi summam Reipub. deferentes, Imperium suscipere noluit. Consul iterum designatus, Armeniæ regem deuicit, Cappadociam in prouinciæ formam redegit. Annum ætatis agens XXXIIII. diutino morbo Antiochiæ, fraude Tiberii (vt opinio fuit) obiit. Vir omnibus virtutibus præditus.

AGRIPPINA, M. Agrippæ & Iuliæ filia, neptis Augusti Germanici vxor, ex quo nouem liberos sustulit: quorum duo infantes, tertius puer extinctus est. Cæteri superstites patri fuerunt. Tres filii Nero, Drusus, & C. Cæsar. Filiæ totidem, Agrippina, Drusilla, Liuia. Mortuo marito à Tiberio Pandateriam relegata est.

Aliud Numisma Germanici addidi, propter diuersam inscriptionem. In cuius altera parte est currus triumphalis, cum inscriptione: GERMANICVS CAESAR.




IVNIA CLAVDILLA, quam & Tacitus Claudiam appellat, M. Syllani nobilissimi viri filia, ante initium principatus C. Cæsari nupta, ex partu obiit.

LIVIA HORESTILLA, C. Pisoni prius nupta. Hanc C. Cæsar è conuiuio abduxit, & manè gloriatus vxorem instar Romuli sibi esse repertam, inter paucos verò dies repudiatam biennio pòst relegauit, quòd repetisse prioris mariti Pisonis vsum medio tempore videbatur.




LOLLIA PAVLINA M. Lollii Caii filii Augusti rectoris filia, antè C. Memmio, qui consularem exercitum regebat, nupta, facta mentione auiæ eius, vt quondam pulcherrimæ, subitò prouincia euocata, ac C. Cæsari coniuncta fuit: sed breui interdicto coitu cuiusquam in perpetuum, ab eo dimissa.

CAESONIA, neque forma insignis, neq; ætate integra, luxuriæ perditæ mulier, & ex alio trium filiarum mater. Hanc tanto ardore adamauit C. Cæsar, vt pelta & galea armatam, iuxta se adequitãtem milit.

militibus ostenderet, amicis verò nudam. Ab hac medicamento amatorio potionatus credebatur, vt valetudinem neque corporis, neque animi integram habuisse feratur. Sed C. Cæsare occiso, à Centurione Lupo gladio confossa est.





IVLIA DRVSILLA C. Cæsaris ex Cæsonia filia. Infantem per omnium Dearum templa C. Cæsar circunferens, Mineruæ gremio imposuit, alendámq; commendauit. Hanc omnino ex se genitam illo demonstrauit argumẽto, quòd feritatem paternam imitaretur, cùm ludentium puerorum oculos infestis vnguibus peteret. Parentibus interfectis, illa quoq; parieti est illisa: ac ita nefandißima tota soboles, ac integra domus è medio sublata est.

LIVIA nata ex Germanico, & priore Agrippina, cuius fraude necatum veneno virum fuisse scriptores tradunt. Ex ea Tiberius alternatus adulterio ferebatur. Ideò despectus ab Imperatore Tiberio, matérq; ipsa tormentis, supplicióque affecta.





NERO Germanici & Agrippinæ filius, frater C. Cæsaris. Hunc cum fratre Druso omnium criminationibus obnoxium reddidit, va-

riàque fraude inductum,vt & concitaretur ad conuitia,& concitatus perderetur,accusauit Tiberius Cæsar per literas. Accusatus hostis in Insula Pontia fame periit.

DRVSVS item, sicut frater, vt prędictum est, Tiberio criminante hostis iudicatus, in ima parte palatii fame necatus est.



TIBERIVS CLAVDIVS, DRVSVS, ex Druso Nerone fratre Tiberii Imperatoris,& Antonia minore, Iulio Africano,& Fabio Africano Coss. Lugduni natus est. Vniuersam penè pueritiam,& adolescentiam conflictatā habuit, ita vt animo simul & corpore esset penè hebetiori. Vnde ab Antonia matre, sæpe PORTENTVM HOMINIS DICEBATVR, QVASI A NATVRA INCHOATVS, SED NON ABSOLVTVS FORET. Liberalibus artibus ab ætate prima haud mediocrem operam dedit, Græcè doctus & Latinè quadraginta historiarum libros conscripsit. C. occiso, cùm percussores inquirerentur, metuens ne ad supplicium raperetur, sese occultauit, deformi latebra repertus, à militibus extractus, ductúsque ad palatium vrbis, Imperator creatus est, Anno ætatis L. promittens singulis quaterna dena sestertia. Et sic primus Cæsarum fidem militis præmio est pignoratus. Parentibus ac maioribus suis auiæ & fratri, cunctísque propinquis diuinos honores instituit, sacrificiáque in memoriam eorum, cum ludis & spectaculis celebrauit, honores sibi illatos spreuit, ac contempsit. In cunctis tam ciuilem se gessit, vt breui spatio omnium in se fauorem & amorem traheret. Priuatis tamen insidiis infestabatur, ac bellum ciuile contra eum à furio Camillo Scriboniano Dalmatiæ Legato est motum, quem etiam milites in Imperatorem elegerunt. verùm intra quintum diem oppressus est, legionibus, quę sacramentum mutauerant in pœnitent

nitentiam religione conuersis. Censuram deinde intermissam reuocauit, eámq; gessit, in qua populi lasciuiã seueris edictis increpuit. Ius laboriosè dixit. Expeditionẽ in Britãniam sumpsit, quam cum in deditionem recepisset, sexto demũ mense reuersus in Vrbẽ triumphum egit pretiosissimũ. Curam vrbis maximam habuit. Annona existente arctiore, ob assiduas sterilitates, commeatus hyberno tempore inuehendos cogitauit. Senatum suppleuit, famosos Senatu amouit, ob id PATER SENATVS dictus. Opera publica multa & magna extruxit. Aquam Claudiam Romam introduxit. Spectacula magnifica edidit. Ludos seculares fecit. Institutiones quasdam correxit, nouas sanxit: plerisq; indulgentissimus ac liberalissimus princeps. Tandem fraude Agrippinæ veneno periit, ætatis Anno LXIIII. Imperii XIIII. Funeratus est solenni pompa Principum, & in Deorum numerum relatus. Vir, cuius forma dignitatem, autoritatémque præ se ferret, specie & canicie pulchra, corpore prolixo, nec exili, risu indecenti, spumante rictu, humentibus naribus, capite tremulo, ac valetudine semper graui. Conuiuiis plus nimio deditus, vini cibíque appetentissimus, vsque adeò, vt sæpe vomitu stomachum exonerare cogeretur. Somni breuissimi, libidinis in fœminas profusissimæ, aleæ perquàm studiosus, natura fatuus sanguinariúsque, aliòqui timidus, & ad omnia pauidus.

IN CLAVDII Numismatis altera parte est ædificium lapidibus quadratis rudibus, duos arcus subleuatos continens, superiore parte in templi figuram extructum. In cuius medio est statua Imperatoris hastile manu tenens. Ante eum signum militare, cui Aquila imposita. Ex vtraque itaque parte columnæ Tympanum sustinent. Inscriptio in medio ædificii talis est: IMP. RECEPT. Aquæ Claudiæ introductum repræsentans.

FVIT AVTEM Aquæductus à Caligula inchoatus, sed à Claudio magnificè ex duobus fontibus cœruleo altero, ob colorem: altero Curtio in Vrbem inductus & perfectus. Opus omnium reliquorum Aquæductuum lõgissimo interuallo splendidissimum. Omnes enim Romanos colles altitudine excedit. Vestigia eius in Auentino prope S. Priscam, & prope Næuiam portam, quæ nunc MAIORIS appellatur, in muro conspiciuntur, canales, scilicet, saxei tres, alter

alteri impositus, magnæ amplitudinis. In frontispicio eiusdem portæ titulus huiusmodi legitur: TIBERIVS CLAVDIVS DRVSI F. CAESAR AVGVSTVS GERMANICVS, PONTIF. MAXIM. TRIBVNITIA POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIAE, AQVAS, CLAVDIAM EX FONTIBVS, QVI VOCABANTVR CAERVLEVS ET CVRTIVS, A MILIARIO XXXXV. ITEM ANIENEM NOVAM A MILIARIO XII. IMPENSA SVA IN VRBEM PERDVCENDAS CVRAVIT. Alii item Tituli de huius aquæductus restitutione leguntur, quos suo loco annotabimus. Atque in id opus Claudii erogata sunt Talentûm sexaginta milia, cuius rationem cùm putaret Budæus, Auri, vt vulgò loquimur, Millionem, ac CCCLXXXV. milia & D. Coronatos efficere monuit.






DRVSVS patre Tiberio Nerone, matre Liuia Drusilla natus, frater Tiberii Imperatoris, pater Claudii Cæsaris, missus in Germaniam, eam prouinciam domuit, collapsus equo fractóque crure inter Salam & Rhenum fluuios victor, oppetiit.

ANTON

ANTONIA MINOR, M.Antonii & Octauiæ ſororis Augusti,filia,Druſi vxor.Ex quo plures habuit liberos,tres tamen omnino reliquit,Germanicum,Lucillam,& Claudium Imperatorem.

ALIAM in Numiſmatibus inuenimus Antoniam,quam ob diuerſam effigiem & inſcriptionem adiicere voluimus.In cuius altera parte eſt ſacerdos dextra ſimpullū tenens,cū inſcriptione: TIB. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. Ex vtraque parte. S. C.




AEMILIA LEPIDA, Auguſti proneptis, ex Paulo Aemilio Cenſoris filio,& Iulia nepte,Claudii adhuc adoleſcentis ſponſa, ſed quòd pater eius in Auguſtum coniurauerat, à Claudio repudiata.

LIVIA MEDVLLINA, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo Dictatoris Camilli nata, ſecunda Claudii ſponſa, die nuptiis deſtinato,valetudine extincta.




PLAVCIA HERCVLANILLA, triumphali patre nata, ob libidinum probra, & homicidii ſuſpicionem,repudiata à Claudio, ex

quo liberos habuit Druſum & Claudiam.

AELIA PETINA ex Tuberonum familia nata, patre conſulari, ob leues offenſas à Claudio repudiata, ſuſcepta tamen priùs ex ea Antonia.





VALERIA MESSALINA Barbati Meſſalę conſobrini ſui filia, ob impudicitiam famoſiſsima Claudii vxor. Inter cætera vitia à C. Sylio Romanorum pulcherrimo nupta, nuptiiſque Claudio in Hoſtienſi ſeceſſu, ſacrificii gratia agente, celebratis, Narciſsi liberti iuſſu, aſsidente matre lepida, à Tribuno tranſfixa eſt, ſuperſtitibus liberis Octauia, & Britannico.

IVLIA AGRIPPINA Claudii vxor, & ex fratre Germanico neptis. Huius illecebris blandiſsimis, ac oculo in amorem pellectus Claudius ſubornauit apud Senatum, vt ſe cogerent ad ducendam eam vxorem, & ad inceſtas celebrandas nuptias, cuius fraude poſteà periit.





BRITANICVS, primò Germanicus dictus, patre Claudio, matre

tre Messalina x x i i. Imperii die, inque secundo consulatu patris natus. Hunc paruulum militibus pro concione, manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens, assiduè commendabat. Post obitum patris veneno à Nerone extinctus est.

DRVSVS POMPEIVS, Claudii & Plauciæ Herculanillæ filius. Hunc puberem amisit, Pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto, strangulatum. Cui ante paucos dies mortis suæ, filiam Sciam desponderat.





CLAVDIA ex Herculanilla Claudii filia, ex liberto suo Botere concepta esse ferebatur: Quamuis ante quintum mensem diuortii nata aliq; cœpta, ad matris tamen ianuam exposita, & nuda abiecta est.

ANTONIAM ex Petina Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Syllæ nobilissimis iuuenibus collocauit Claudius, quos posteà non reiecit modò, sed interfici iussit.



DOMITIVS NERO CAESAR ex Cn. Domitio Nerone & Agrippina Germanici filia, x v i i i. Calend. Ianua-

rias exoriente Sole procreatus. Tam infelici genitura editus in lucem, vt gratulantibus amicis, pater Domitius, NIHIL QVICQVAM, NISI DETESTABILE IN PERNICIEM REIPVB. EX SE, ATQVE AGRIPPINA POSSE NASCI, APERTE FATERETVR. Trimulus patrem amisit. Apud Lepidam amitam sub duobus pædagôgis saltatore & tonsore est educatus. Vndecimo ætatis Anno à Claudio est adoptatus, Annæóq; Senecæ Senatori in disciplinam traditus. Mortuo Claudio decimoseptimo ætatis Anno, medio die ante Idus Octobris, egressus in publicum, pro palatii gradibus Imperator salutatus est, lecticæ impositus à militibus per castra in Curiam delatus, vbi & à patribus Imperator vocatus, multísq; honoribus est auctus. Hinc C. Claudium apertissimo funere laudauit, eúmq; in Deorum numerum referri præcepit. Matri summam rerum commendauit. Primum quinquennium ita gessit, vt omnes Principes liberalitate, clemētia, comitate, beneuolentia superaret. Adeò ut Traianus dicere solitus sit: PROCVL DISTARE CVNCTOS PRINCIPES A PRIMO QVINQVENNIO PRINCIPATVS NERONIS. GRAVIORA VECTIGALIA AVT MINVIT, AVT ABOLEVIT. Et cùm de supplicio cuiusdam capitis damnati ageretur, & vt subscriberet libello supplicii deputati admoneretur, chartam inuitus accipiens exclamauit: QVAM VELLEM NESCIRE LITERAS. Quæ vox Senecam commouit, vt librum de clementia Neronis scriberet. In omnes ordines tam clemens ac benignus fuit, vt & salutantes ad se mitteret, & vicissim eos salutaret memoriter. Prauos mores emendauit, multas leges bonas tulit: sumptibus superfluis modum adhibuit. Ianum bis clausit, Consulatus quatuor gessit, nouam ædificiorum formam inuenit, útq; ante domus porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur, sumptibus suis extruxit. Propagandi augendíq; Imperii, neq; voluntate vlla, neque spe motus est vnquám. Pontum in prouinciæ formam redegit. In Achaia Isthmum perfodere aggressus, irritus fuit conatus. Etsi autem multa cum honore ageret: mox tamen Imperatoriæ dignitatis oblitus, sese Musices studio ita addixit, vt in scenam prodire personatus concupierit, & in Theatro publicè cantauerit. Flagrauit aurigandi & cytharizandi studio, adeò vt coronas ex Græciæ agônibus, sibi oblatas, gratissimè reciperet. Reuersus è Græcia, triumphum agens, Romam introiuit, in curru triumphali Augusti, coronatus & purpuratus. Paulatim petulantiam,

tulantiam,libidinem,luxuriam,auaritiam,crudelitatem aperuit & detexit, adeò, crepusculo pileatus vt obuios quosque verberaret, ac repugnantes vulneraret, cloacisque immergeret, tabernas effringeret & expilaret,ita vt sæpe illi periculum mortis immineret. Comessationibus ita deditus,vt è medio die ad mediam noctem epulas protraheret. Inter cœtus ganeorum,atq; scortorum nudus saltauit. Pueris abusus,& nuptis. Virgini Vestali Rubriæ vim intulit. Sporum puerum Eunuchum,ornamentis muliebribus excultum,ad se deferri iussit,& pro vxore habuit. Doriphorum libertum in coniugem accepit, & maritum suum,cùm se mulierem effingeret, fecit. Agrippinā matrem incestauit. Per cuncta autem flagitia volutatus,nihil flagitii reliquit. Prodigalissimus & profusissimus tam donādo,quàm ædificando,vt iam egens & exhaustus,ad rapinas animum intēderet, sacrilegiisque templa Deorum spoliaret, ac tum animum ad crudelitatem conuertit. Britannicum secum cœnantem præparato veneno, è medio sustulit: matrem occidi iussit,eiúsque cadauer intrepidus aspexit, Lepidam amitam interfici curauit,eiúsque bona diripuit. Multos prçtereà affinitate coniunctos crudelissimè interfecit. Senecam & Burrum præceptores interemit, libertos, senes multos veneno sustulit, nobilissimum quenq; exitio destinauit,conatus Senatorium ordinem totum subuertere. Nec populo quidem ac mœnibus patriæ pepercit. Vrbem ipsam incendit,causatus ædificiorum deformitatem, & vicorum flexuras,durauitque incendium sex diebus,& noctibus septem, quod è turri Mecœnatiana prospiciens, Scenico habitu Troianum incendium decantauit. Cùm iam Galliç defecissent,duce Iulio Vindice,ac mox Hispaniæ, Duce Galba, collapsus animo, cùm iam inter prandendum audisset Galbam salutatum Imperatorem ab exercitu, mensam subuertit,ac semimortuus humi cecidit,útque resipuit, veste decissa,actum de se pronuntiauit. Dehinc furibūdus in theatrum descendit,meditatus vniuersum senatum per conuiuia necare: desperatione tamen deterritus,expeditionem contra Gallos parauit. Variis interim angustiis & cogitationibus molestabatur, crudelissimísque somniis vexabatur. Venenum deinde ex aurea pixide sumēs, fugam moliebatur,& dum se ab omnibus derelictum videret, amicorúmq; fores conclusæ,nec quisquam repertus,qui eo rogante sibi ceruicem amputaret, præceps procurrit, se Tiberi immersurus: sed à Phaonte quodam liberto auocatus. At vbi audiuit se hostem à Senatu iudica-

tum,& ab Equitibus inquiri, ferrum iugulo adegit, adiuuante trepidam manum impuro Eunucho Sporo, Anno ætatis XXXII. Imperii XIIII.eo ipso die,quo vxorem Octauiam interemerat. Mors eius tantum gaudii publicè præbuit,vt plebs pileata tota discurreret vrbe. Statura fuit penè iusta, corpore maculoso & fœdo, sufflauo capillo, vultu pulchro magis,quã venusto,oculis cæsiis,& hebetioribus,ceruice obesa,ventre proiecto,gracilimis cruribus,valetudine prospera.

In huius Numismatis altera parte,Neronis triumphus talis repręsentatur: Currus, cui variæ imagines mulierum cythara ludentium, & saltãtium quatuor equabus Hermaphroditis niueis trahitur. Currui Nero insidet ornatus pallio,coronatus corona olympica, cytharam manu tenens,de cuius collo pendet arcus,& pharetra. A dextro currus latere duo vexillares conspiciuntur, vexilla, quibus varia instrumenta Musica appendent,gestantes, cum inscriptione: APOLLINI INVICTO CAE. AVG. Infrà scriptum, S. C.

De hoc triumpho Suetonius hæc tradit:Reuersus è Græcia Neapolim,quòd in ea primùm artẽ protulerat,albis equis introiit, disiecta parte muri,vt mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum,inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Augustus olim triumphauerat,& in veste purpurea, distinctáque stellis aureis chlamyde,coronámque capite gerens olympicam,dextra manu Pythiam,præeunte pompa cæterorum,cum titulis,vbi & quos,quo cantionum, quóue fabularum argumento vicisset: sequentibus currum ouantium ritu plausoribus,Augustianos,militésque se triumphi eius, clamãtibus.Dehinc diruto circi maximi arcu,per velabrum forúmq; Palatium & Apollinẽ petiit.Incedenti passim victimæ cæsæ,sparso per vias identidem croco,ingestæq; aues,ac lemnisci & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam numum percussit.





CN. DOMITIVS, Domitii Neronis, & Antoniæ Maioris filius, pater Neronis, vir fcelestifsimus, omniq; parte vitæ detestabilis homicida. Siquidem Comes miffus ad Orientem C. Cæfaris iuuenis, libertum fuum, quòd potare quantum iubebatur, recufaret, occidit. Puerum citatis iumentis haud ignarus obtriuit, Equiti cuidam Romano in medio foro oculum eruit. Perfidus, maieftatis quoq;, adulteriorum, inceftique cum forore Lepida reus factus, mutatione temporum euafit. Tandem Pyrgis, morbo aquæ intercutis decefsit, fublato ex Agrippina filio Nerone.

AGRIPPINA Germanici & Agrippinæ filia, primò ex Cn. Domitio Aenobarbo filium Neronem habens, poftea Claudio nupfit, & fimul filium in adoptionem dedit. De qua fuprá.





OCTAVIA Claudii Cæfaris, & Meffalinæ filia. Hanc pater Neroni poft matrimonium Agrippinæ defpōdit: cuius confuetudinem citò afpernatus Nero, camq; fæpe fruftra ftrangulare meditatus dimifit, vt fterilem. Improbante diuortium populo, relegauit, primùm in Campaniam, dehinc in infulam Pandateriam. Poftcà fub crimine

falſi adulterii mori iuſſa,vinculis reſtringitur,venæq; eius per omnes artus exoluuntur.Et quia preſſus pauore ſanguis tardiùs labebatur, feruidi balnei vapore necatur.

POPEA Sabina Titi Ollii filia, equiti Romano Criſpino antè nupta, ex quo filium Criſpinum genuerat, quem impuberem Nero occidit,pellex & adultera Neronis.Poſt diuortium tamen Octauiæ, vnicè dilectam in uxorem duxit Nero: quam cōuitiantem ſibi ictu calcis occîdit,ſuſcepta priùs ex ea filia Auguſta.





CLAVDIA AVGVSTA ex Nerone & Popea Sabina nata, intra quartum menſem admodùm infans obiit.

STATILIA MESSALINA Tauri bis conſulis, ac triumphalis abneptis. Qua,vt potiretur Nero, Atticum Vectium Conſulem virum eius,in ipſo honore trucidauit,ſibíque vxorem rapuit.

Cùm in iſto Nerone omnis Cæſarum nobilis familia defecerit, operæpretium mihi videtur hoc loco, Genealogiam Cæſarum arbore quadam ſubiungere: qua vno conſpectu totum illud genus innoteſcat. Maior itaque ſcriptura conſanguinitatem,Minor verò affinitatem ſignificat.

L. CAESAR.

IVLIVS CAESAR. Cornelia vxor.
IVLIA FILIA.

IVLIA. M. Actius maritus.
ACTIA. Octauius maritus.

Liuia Drusilla vxor Augusti posterior.
AVGVSTVS. Scribonia vxor prior.
Marcellus maritus.
OCTAVIA. Antonius alter maritus.

DRVSVS. Antonia Octauiæ filia.
TIBERIVS. Iulia Augusti filia, vxor.
IVLIA. M. Agrippa maritus.

MARCELLVS.
ANTONIA. Drusus Augusti priuignus maritus vt suprá.

CLAVDIVS.
GERMANICVS. Agrippina neptis Augusti.

OCTAVIA.
BRITANNICVS.

DRVSVS.
TIBERIVS. Agrippina vxor.

IVLIA. AGRIPPINA.
CAIVS. LVCIVS. AGRIPPA.

CAIVS CALIGVLA.
NERO.
DRVSVS.
IVLIA.
AGRIPPINA. Domitius maritus.

IVLIA. DRVSILLA.

NERO CAESAR Tyrannus.

AGRIPPINA Germanici filia, oppido Vbiorum fuit nata, à qua & deinde Agrippina colonia denominationem accepit.



SERGIVS GALBA ex patre Sergio Galba,& matre Numia Achaia ex nobilissima Sulpitiorum familia, Valerio Messala,& Cn. Lentulo Coss. ix. Calend. Februarii natus:in adolescentia liberalibus disciplinis,& Iuri operam dedit. Honoribus ante legitimum tempus perfunctus est. Prætor ludos Florales exhibuit: deinde Prouinciæ Lusitaniæ præfuit. Mox per sex annos consulatum ordinarium gessit. Durus & seuerus in re militari. Veteranum,& tyronem militem assiduis operibus exercens, seuerissimè eos tractauit, adeò,vt communi prouerbio diceretur: DISCITE MILITES MILITARE, GALBA EST, NON GETVLVS. Deinde in Africam extra sortem missus, biennio proconsulem egit: eam Prouinciam moderatè rexit, intestinam dissensionem & barbarorum tumultu inquietam, seueritate & iustitia coërcuit. Ob res igitur strenuè in Africa,& olim in Germania gestas triumphalia ornamenta accepit. Sacerdotium triplex inter quindecim viros sodalésq;, Titios item Augustales cooptatus. Post hęc oblata est ei Taraconēsis Hispania,quam octo annis vehementi acerbitate rexit. Posteà parum submissius se gerens,in desidiam & socordiam paulatim est conuersus, ne quid materię Neroni præberet. Cùm verò Iulius Vindex,qui Galliis præfuerat,& à Nerone primus defecerat, cum sæpius literis adhortaretur,vt se humano generi assertorem,ducémque accommodaret,quoniam Auguriis,& fatidicis carminibus significaretur, ex Hispania Imperatorem proditurum,non diu cunctatus, conditionem suscepit:cùm neces damnatorum à Nerone pro Tribunali, cum deploratione status temporum,militibus pronuntiasset. A quibus cùm salutatus esset Imperator, Legatum se Senatus & Populi Romani professus est. Et vt ostenderet Senatorias se partes sequi, quosdam elegit ex primoribus,qui apud illum essent Senatus loco, legionésq;

&

& auxilia ſuper exercitum veterem conſcripſit, ſingulos obteſtatus, vt communem cauſam iuuarent: licet prope ex inopinato cuncta turbata eſſent, quòd quidam pœnitentia ducti, alienati ſunt, & nonnulli à Liberto Neronis ad fraudem præparati, pene occidiſſent Galbam. Acceſsit ad tanta diſcrimina mors Vindicis, qua maximè conſternatus, deſtituróq; ſimilis, non multùm abfuit, quin vitæ renuntiaret. Interim ab Vrbe nuntii veniunt Neronis mortem ſignificantes, quibus recreatus, Cæſaris appellationem aſſumpſit. Paludatus, militaribúſque ornamentis indutus, iter ingreſſus eſt. Oratores Senatus circa Narbonam vrbem Gallicam, eum offendentes, hilariter ſalutauerunt, rogauerúntque, vt ſe voluntarium deſideranti populo oſtenderet. Cùm verò ſæuitiæ eius ac auaritiæ præceſsiſſet fama, quòd ciuitates quaſdam Hiſpaniarum Galliarúmque grauioribus tributis oppreſsiſſet, non admodùm gratus fuit eius in vrbem aduẽtus. Quanquàm autem multa documenta egregii principis daret, nequaquam tamen erãt grata. Quia trium amicorum regebatur iudicio, quibus ſe abutendum tradidit, vt vix ſibiipſi cõſtaret, modò acerbior parciórq;, modò remiſsior ac negligentior, quàm conueniret Principi electo, atque illius ætati. Quoſdam viros illuſtres Senatorii, ac Equeſtris ordinis inauditos ſuſpicione minima condemnauit. Raró libertatem in ciues Romanos exhibuit. Beneficia à Cæſaribus data, iudicibus eripuit. Liberalitates Cæſarum priſtinas ſuſtulit, ac libertis ſuis addixit: quibus etiam, vt gratificaretur, vectigalia, immunitates, pœnas innocentium & impunitatem noxiorum condonauit. Hinc propè vniuerſis ordinibus offenſus, apud milites verò præcipua flagrabat inuidia, quos nulla largitione donauit, ſed inani ſpe decipiebat. Et ob id rupere fidem, ſacramentum militare reiicientes, Imperatorémque in Hiſpania factum palàm diſplicere conclamabant. Conſpiratione igitur facta ad lacum Curtium, in foro Romano trucidatus eſt. Caput eius à milite gregario amputatum, ad Othonem delatum eſt, qui cum ludibrio circunferendum lixis calonibúſque donauit. Truncum corpus ab Argio diſpenſatore in hortis eius Aureliæ viæ ſepultũ eſt. Sic periit tertio & ſeptuageſimo ætatis Anno, Imperii mẽſe ſeptimo. Vir iuſtæ ſtaturæ, capitis calui, & cæruleis oculis, adunco naſo, qui in vniuerſo corpore morbo articulari conflictabatur: homo cibo & potu, & libidinis præpoſteræ luxurioſiſsimus, famæ nec iniurioſus, nec vendicator, pecuniæ alienæ nõ appetens, ſuæ parcus, publicæ auarus.

IN ALTERA Numiſmatis parte eſt Imperator thorace variis ornamentis expolito,& paludamento indutus: ſtat in ſuggeſtu concionaturus militibus. A tergo illius eſt Tribunus militum loricatus & paludatus. Ante eum legio militum loricatorum, & ſcutatorum, quorũ vnus Aquilam,alius Labarũ ſigna militaria, alius verò equum Imperatoris tenet,cum inſcriptione: FIDES MILITVM. S. C.



SERGIVS GALBA SVLPITIVS, pater Sergii Galbæ Imperatoris, breui corpore,atque etiam gibber, modicæque in dicendo facultatis, vir conſularis, cauſas induſtriè actitauit. Vxores habuit Numiam Achaiam,& Liuiam Ocellinam diuitem admodùm,& pulchram, à qua tamen nobilitatis cauſa appetitus vltrò exiſtimatur, & aliquantò enixius,poſtquàm ſubinde inſtanti vitium corporis ſecretò,poſita veſte,detexit,ne quaſi ignaram fallere videretur.



NVMIA ACHAIA neptis Catuli, proneptíſque L. Mummii Achaici,qui Corinthum excidit.Ex hac C.& Sergium Imperatorem procreauit Galba.Maior Caius attritis facultatibus, Vrbe ceſsit,prohibitúſque à Tiberio ſortiri anno ſuo Proconſulatum, voluntaria morte obiit.

LEPIDA





LEPIDA Galbæ Imperatoris vxor, ex qua duos suscepit filios: qua mortua remansit in cœlibatu, neque solicitari vlla conditione ampliùs potuit, aliam vt duceret.

PISO FRVGI LICINIANVS, ex M. Crasso & Scribonia genitus, generosus, egregius, & prudens iuuenis. Hunc Galba in castra perducens, pro concione adoptauit. Posteà cum patre Galba, aliisque compluribus trucidatus.



M. SYLVIVS OTHO, L. Syluio Othone patre, & Albia Terentia matre, quarto Calend. Maii, Camillo Aruntio, & Domitio Aenobarbo Coss. natus est. A prima ætate prodigus, ac procax, adeò, vt sæpe multis flagris à patre afficeretur, noctu vagans, obuios quosque verberabat. Mortuo iam patre, Libertinam Aulicomanum anum ac penè decrepitam dilexit, vt per hanc insinuaretur Neroni, cui mox cognitus, pergratus erat, in tantum, vt omnium con siliorum, atque secretorum particeps fuerit. A Nerone deinde legatus in Lusitaniam missus, prouinciam decem annis, summa moderatione, ac singulari abstinentia administrauit. Deficiente à Nerone Galba, Otho primus ex Ducibus ad Galbæ partes accessit, & quan-

tum auri argentíque habebat in poculis, argentario id omne dedit, vt inde numi fierent, quos ministris Galbæ viritim diuidebat. Fecítque cum Galba longo tempore iter, qui etiam iandudum spem Imperii conceperat. Animos militum omni obsequio deuinciebat, & beneficio conciliabat, vt palàm omnes prædicarent, hunc solum successione Imperii dignum. Sperabat etiam à Galba adoptionem, sed frustratus sua spe, ad vim conuersus, conspirationem iniit. Duobus itaque commissa est hæc prouincia, Proculo Tesserario Spiculatori, & Veturio Optioni, quos pretio & promissis onerauit, data pecunia ad perdendos plurium animos. Et hi duo manipulares Imperium Populi Romani suscepere transferendum, & transtulerunt. Nam Otho etsi in cœna Galbam in Palatio destinasset aggrediendum, distulit tamen in sextum Pisonis adoptionis diem, ac præsens Galbæ sacrificanti, cùm Aruspicis verba audisset, se inuisere antiquas ædes simulans, quas architectus iam inspexerat, abiit. Et in castra delatus, Imperator est passim ab omnibus salutatus, quibus vicissim est pollicitus omnia, sese tantùm habiturum id, quod sibi reliquissent. Exactóq; per scelera die, Senatum est ingressus, quasi raptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus, gesturúsque communi omnium arbitrio, palatium petit, multis honoratus gratulantiū adulantiúmq; blanditiis. Decreta ei Tribunitia potestas, & nomen Augusti, & omnes principum honores. A plebe appellatus est Nero, quod nomen non recusauit. Interim exercitus Germanicus, facta coniuratione contra Othonem, Vitellium in castris Imperatorē eligunt. Quod vt comperit, autor Senatui fuit mittendæ legationis, quæ doceat electum iam principem, hortetúrque ad quietem & concordiam. Otho etiam per internuntios, ac literas consortem Imperii, generúmque se Vitellio obtulit, sed aduersis diis atque auspiciis, expeditionem inchoauit, ac bellum ciuile molitus est. Tribus leuibus præliis contra Vitellianos congressus, victor extitit. Quarto apud Bebryacum fraude superatus est: cùm spe colloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improuiso, atq; in ipsa consultatione circumuenitur. vnde tædio ciuilis belli, non desperatione, quando integræ legiones ex Dalmatia expectabantur, & Pannonia & Mœsia, mortem meditatur: Fratrem, fratrisq; filium, & singulos amicorum cohortatus, vt sibi quisque pro facultate consuleret, pecuniisque suis domesticis diuisis, pugione, quem puluino subdiderat, se

vno

vno ictu infra leuem maxillam interfecit, Aetatis anno XXXVIII. Imperii die XCV. apud Veliternam funeratus. Adeò charus militibus, vt multi haud procul à rogo sibiipsis manus inferrent, multi præ dolore armis inter se ad internicionem cõcurrerent. Vir modicæ staturæ, & malè pedatus, caluúsque, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo. Munditiarum penè muliebrium, & imberbis, cui minimè tam virilis mors & Romana conueniebat.

Numisma æreum huius Imperatoris vidi: in cuius altera parte ara conspicitur, cui Imperator togatus adstat, ab altera parte aræ est Tribunus militum loricatus & paludatus, iungens in ara dextram cum Imperatore. A tergo Tribuni alii sunt milites loricati gerentes signa militaria, cum inscriptione: CONCORDIA MILITVM, infrà subscriptum, S. C.



L. OTHO, M. Syluio Othone patre, qui ex familia vetere & honorata atque ex principibus Hetruriæ originem traxit, natus, pater Othonis Imperatoris, Tiberio principi non absimilis, per gratiam Liuiæ Augustæ, in cuius domo creuerat, Senator est factus, nec Præturæ gradum excefsit. Vrbanos honores, Proconsulatum Africæ, & extraordinaria Imperia seuerifsimè adminiftrauit, ita vt à Senatu prosecutus sit magno honore, & Statua in Palatio sit ei posita.

ALBIA TERENTIA, fœmina splendidifsima, vxor L. Othonis. Ex quo duos tulit filios, L. Titianum, & Minorem M. Othonem Imperatorem, & filiam, quam nondum nubilem Druso Germanici filio despondit.




AVLVS VITELLIVS, ex L. Vitellio clarisſimo viro, & Sextilia probatisſima, nec ignobili fœmina, VIII. Calend. Octobris, Druſo & Norbano Coſs. prognatus. Primam ætatem apud Tiberiana ſcorta Capreis egit, & ipſe perpetuo Spintriæ cognomine eſt notatus. Dehinc omnibus probris contaminatus, in aula præcipuum obtinuit locum, & Caio per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium Neroni per citharœdos & Muſicæ certamina factus familiaris, quorum principum fauore, non ſolùm honoribus, verùm etiam ſacerdotiis amplisſimis auctus, Proconſulatum Africæ obtinuit, in qua ſingularem innocentiam præſtitit, biennio continuato, cùm fratri ſuccedenti legatus fuiſſet. Dehinc operum publicorum curam habuit. In quo dona & ornamenta templorum ſurripuiſſe, & commutaſſe quædam, próq; auro & argento, ſtagnum & aurichalcum ſuppoſuiſſe ferebatur. Poſteà illi à Galba Germania prouincia, præter multorum opinionem eſt tradita. Ad quam cùm perueniſſet, ab exercitu perbenignè acceptus eſt, quippe cuius prodigalitas omnibus eſſet quàm notisſima, & in dies nouis experimentis auxerat. Comem, blandum, benignum, & ſupra modum facilem omnibus ſe exhibuit. Vnde vix menſe tranſacto nulla habita temporis ratione, veſpere ſubitò à militibus è cubiculo raptus, ita vt erat in veſte domeſtica, cùm cibi eſſet, viníque meridiani plenus, Primùm à Fabio Valente, vnius legionis Duce Imperator eſt ſalutatus. Aſſenſit & voluntati militum. Cognomen Germanici delatum ab vniuerſis, cupidè recepit: Auguſti diſtulit, Cæſaris recuſauit perpetuò. In colonia Agrippina à militibus per celeberrimos vicos circumlatus, Imperator ab vtrinſq; legionibus Germaniæ vocatus eſt. Paulò pòſt, cùm ei Galbæ cædes ei annuntiata eſſet, pacatis Germanicis rebus, copias eſt partitus, & aduerſus Othonem exercitum parauit. Cùm autem

autem Othonis audiſſet mortem, Prætorianos exautoratos, iuſsit arma tradere Tribunis, quiq; ob cædem Galbæ munera poſcebant, iuſſit, vt interficerentur, vt ſummi ac probi principis ſpem præ ſe ferret. Priùs quàm in vrbem veniret, in ciuitatibus omnibus ac villis, more triumphantis, circumlatus, in fluminibus, delicatiſsimis nauigiis vſus, profuſiſsimos vndique apparatus fecit, nulla diſciplina militem petulantem coërcens, licet rapinas, verbera, plagas indiſcriminatim in obuios quoſq; ſine delectu exerceret. Adeò apud illum erant omnia indiſpoſita, temulenta peruigiliis & bacchanalibus, quàm diſciplinæ & caſtris promptiora: videns campos, quibus pugnatum, cædem deteſtabili voce confirmauit: OPTIME OLERE OCCISVM HOSTEM. Die Allienſi infauſto Pontificatum maximum in ſe recepit. Magiſtratus, qui quotannis creari ſolent, in decem annos diſtulit. Tum in medio campi Martii Neroni inferias dedit, adhibitis ſacerdotibus. At cùm arbitrio hiſtrionum & aurigarum gubernaretur, & horum conſilio Imperium adminiſtraret, pronus erat ad necem, vario genere fraudis nobiliores conſodales ſuos in ſocietatem Imperii vocatos occidit, Mathematicos omnes tota Italia ſubmouit, in plebeios paſsim deſæuit: luxuriæ, libidini, delitiis, & gulæ ita deditus, vt ventri omnem operam dare genitus videretur. Epulas ferè quotidie quater ſumebat, cibis exquiſitiſsimis vſus, & eſculentis delicatioribus, quæ non niſi ſummis maximiſque impenſis è remotioribus locis, atque æquoribus comparari poterant. Impeſtiuæ etiam ac tam ſordidæ gulæ fuit, vt ne in ſacrificio quidem ſibi temperarit, quin inter altaria farra penè rapta è foco mãderet. Helluantem illum Imperatorem Mœſiarum & Pannoniæ exercitus, tum Iudaicus ac Syriacus deſtituerunt octauo Imperii menſe, & pars in abſentis, pars in præſentis Veſpaſiani verba iurarunt. Hoc vbi intellexit, militum omnium beneuolentiam ſtuduit retinere, omnia largiens ſine modo & menſura, blandimentiſq; vſus eſt erga milites Imperatoriæ dignitatis indecentibus. Sed cùm vrgeret hoſtis terra, mariq;, L. Vitellium fratrem cum exercitu miſit, qui apud Cremonã ſuperatus eſt. Reliqui Vitelliani duces in partes Veſpaſiani tranſierunt. Vitellius deſtitutus ab omnibus, ſerò concordiam petebat. Igitur ſibi metuens cum duobus comitibus piſtore & coquo, in latebras fugit: tandem cùm hoſtilis exercitus irrupiſſet in vrbem, qui omnia rimaretur, è latebra extractus, cognitus, ligatis poſt tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, lacerata veſte,

seminudus in forum trahitur, mucrone sub mentum posito, vt visendam præberet faciem, reducta coma à capite ceu noxii solent, licet magna cum instātia carcerem peteret, quòd Vespasianus in Vrbem veniret, multis comitantibus & increpantibus, deformi facie: quibusdam cœno & stercoribus incessantibus, aliis incendiarium, helluonem, aliis ebriosum vociferantibus: quibus libera voce respondit, SE TAMEN IMPERATOREM ESSE. Ad Gemonias scalas raptus, infinitis vulneribus cæsus, periit, & inde vnco tractus, in Tyberim proiectus, Anno ætatis LVII. Imperii mense octauo. Vir enormi proceritate, facie rubida, plerunque ex vinolentia, ventre obeso.

In huius Numismate duæ sunt muliebres statuæ, quarum quæ ad dextrum latus est, seminuda apparet, dextra tenens hastile, sinistra cornucopiæ, pede sinistro calcans galeam. Quæ vero ad sinistrum, galeata, & cristata est, sinistra hastile, dextra sceptrum gerens, ocreata etiam ad suras vsque, dextro pede testudinem premens. Inscriptio talis est: HONOS ET VIRTVS.



L. VITELLIVS, Ex consulatu Syriæ præpositus, Arthabanum Parthorum regem summis artibus, non modò ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. Mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus, censurámq; gessit. Curam quoq; Imperii sustinuit, absente eo, expeditione Britannica. Vir innocēs & industrius, sed amore Libertinę infamis, cuius saliuis melle commistis, pro remedio faucium & arteriarum vtebatur. Item miri in adulando ingenii, qui C. Cæsarem adorari, vt Deum, instituit.

SEXTILIA fœmina probatissima, vxor L. Vitellii, ex quo duos suscepit filios, quos ambos pater, antè, quàm decessisset paralysi, vidit Consules.

L. VITELL.



L. VITELLIVS, ex L. Vitellio, & Sextilia natus, frater Auli Vitellii Imperatoris, missus contra exercitum Vespasiani, apud Cremonam superatus est.





PETRONIAM Consularis viri filiam vxorem habuit Vitellius, ex qua filium Petronium altero oculo captum procreauit. Hunc hæredem sub conditione à matre institutum, si de patris potestate exisset, manumisit, breuiq;, vt creditum est, interemit, insimulatum parricidii, quasi paratum ad scelus venenum habuisset.

GALERIAM FVNDANAM Prætorio patre natam, Petronia priore coniuge mortua, in vxorem duxit Vitellius, ex qua liberos vtriusque sexus tulit, sed marem titubantia oris, propè mutum & elinguem.



FLAVIVS VESPASIANVS ex antiqua Flauiorum gente, Sabini & Pollæ filius x v. Cal. Decembris, Q. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Coss. natus est in Sammiis vltra Reate ab auia paterna educatus, quam mirũ in modum amauit. Sumpta virili toga, cum iam frater illius Senator esset, à matre vix cõtumeliis cõpelli potuit, vt Senatoriã dignitatem peteret, quam veluti molestiarũ & difficultatum plenam recusauit. Tum Tribunus militũ in Thracia, Quæstor in Creta & Cyrenis, pòst Aedilis factus. Prætor sub C. Caligula pro eius victoria Germanica ludos edidit. Sub Claudio principe Legatus legionis in Germaniam est missus, & in Britanniam trãslatus, tricies & bis cum hoste conflixit. Viginti oppida, & insulam Vectem Britanniæ proximam, Imperio Romano adiecit. Quare triumphalia ornamenta, duplex Sacerdotiũ, Consulatum & Proconsulatum meruit. Dehinc ei Prouincia Iudaica oblata, in qua cum tribus legionibus, bellum Iudaicum administrabat. Cùm enim Florus procurator Iudææ, auaritia, & immanitate bellum inflammasset, impulisśetq; Iudæos contra Romanos arma vt capesserent: útq; hic motus comprimeretur, cum ampliore exercitu missus est in Iudæam Vespasianus, dux strenuus, & singularis industriæ, qui acceptis ad copias duabus legionibus, & alariis militibus multis, cum filio maiore Tito, castigata castrorum disciplina, ciuitates Iudææ in se conuertit, multisq; præliis Imperatorem strenuum se exhibuit. Othone & Vitellio de principatu certantibus, in spem Imperii venit, quandoquidem & somnia & oracula futuri Imperii acceperat. Quin & Iosephus Dux Belli Iudæorum captus, à Romanis iam interficiendus, mortem Neronis prænuntiat Vespasiano, eúmq; futurum Cæsarem cum filio. Pluribus Auguriis Imperium Vespasiani denuntiantibus, nihil tamen attentauit, donec sui milites & amici ipsum instantisśimè extimularent ac

per

perurgerent,quibus tamen ſe indignum eſſe reſpondens, ciuilia deteſtatus bella,reluctãtem illum,vt capeſſat Imperium cogunt. Quinto igitur Idus Iulii,exercitus Iudaicus iurauit, cùm iam Cal. Iul. Tiberius Alexander Præfectus Aegypti, legiones in Veſpaſiani verba adegiſſet,& cùm omnes legionum Pręfecti & legati,quem Imperatorem crearent, Veſpaſiano magis idoneum inuenirent nullum. Præmiſsis itaq; in Italiam copiis,ipſe Alexandriam traiecit, vt clauſtra Aegypti obtineret. Hic quidem de firmitate Imperii capturus auſpiciũ,ædem Serapidis,ſubmotis omnibus, ſolus ingreſſus, quendam oculis orbatum inſpuitione ſua, ac dum calcaret alterum debili crure claudum,priſtinæ ſanitati reſtituit.Paulò pòſt aduenêre literæ, fuſas apud Cremonam Vitellii copias, ipſum in vrbe interemptum nuntiantes.In vrbem igitur reuerſus Veſpaſianus, nihil clarius, aut melius eſſe duxit,quàm propè afflictam vacillantémq; Rempub.ſtabilire & ornare:militum licentiam ad nimiam audaciam progreſſam reprimere:Prouincias & Ciuitates,ſeditioſè agentes coërcere: diſciplinam militarem nimis licentioſam corrigere: in prauos animaduertere. Deinde cum Tito filio de Iudæa nobiliſsimum egit triumphum.Tum Achaiam,Rhodum,Lyciam,Byzantium, Samum inſulam libertate adempta,Thraciam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ,vſq; ad id tempus,in prouinciarum formam redegit. Cappadociæ ob aſsiduas Barbarorum incurſiones, legiones conſularémq; rectorem impoſuit: Vrbem veteribus incendiis & ruinis deformem,nouis ædificiis reparauit:Capitolium incenſum redintegrauit: condidit & amphiteatrum media Vrbe, inſtrumentum vetuſtiſſimum Imperii,quo continebantur penè ab Vrbis exordio Senatuſconſulta,plebiſcita, de ſocietate & fœdere, ac priuilegio cuicunque conceſsit, confecit. Poſt triumphum & Imperii Romani firmiſsimum ſtatum,templum Pacis extruxit: Ordines ſenatorium & equeſtrem,ciuilibus bellis exhauſtos,ſuppleuit,ac refecit.Lites ob tumultuoſa tempora pullulantes miro ingenio ſoluit.In aliis omnibus clemens & modeſtus, adeò, vt tribunitiam poteſtatẽ, quæ pars maxima regalis erat ſpeciei,& Patris patrię ſerò appellationem receperit.Singulare etiam in illo erat inimicitias obliuiſci. Nullius cæde vnquàm lætatus eſt:quinimò & iuſtis ſuppliciis ſæpe ingemuit, ſæpe illacrymauit.Sola cupiditate pecuniæ meritò culpatus. Vectigalia enim vetera ſub Galba omiſſa reuocauit, atque noua & grauiora addidit.

g Prou

Prouinciis tributa auxit,& duplicauit. Negotiationes etiam priuatas exercuit. Reos & procuratores locupletiores condemnauit. ob id quidam natura cupidum,quidam necessitate ob inopiam ærarii, & cladis vrbium, quas egregio cultu omnes renouauit, impulsum scribunt. Rhetoribus atque Poëtis primum è fisco annua salaria constituit. Nec minùs in alios artifices liberalis,vtpote qui Colossi refectorem, à quo Colossus C V I I. pedum altitudinis erectus est, munere Imperatorio donauit. Ludos,spectacula edidit, conuiuia celebrauit honorifica,& plurima. Dicaculus,& penè scurrilis, pluribúsq; facetiis satis tempestiuè & falsè vsus,vt in periculo etiam mortis, iocis non abstinuerit. Profluuio autem ventris laborans,extinctus est, Aetatis anno LXIX. Imperii X. Vir staturæ quadratæ,membrísque compactis,& firmis,& valetudinis prosperrimæ, quam abstinentia & fricatione fouebat. Et qui militia acer,agmen anteire, locum castris capere,noctu diúque consilio, ac si res posceret, manu obniti hostibus solebat, cibo fortuito,veste habitúque vix à gregario milite discrepans.

Numisma Vespasianus fecit,in quo Imperator ipse curriu triumphali,qui quatuor equis trahitur,cum filio Tito insidet. Currum præcedunt milites, spolia templi Hierosolymitani ferentes cum inscriptione: TRIVMPHVS DE IVDAEIS. & S. C.

Quia hic Triumphus Vespasiani fuit illustris & splendidus, eius descriptionem ex Iosepho ascribere voluimus: Communem Triumphum ob res gestas agere statuerunt,quamuis vtrisque Senatus proprium decreuisset. Prædicto autem die,quo futura erat pompa victoriæ, nemo ex tam infinita ciuitatis multitudine domi remansit. Omnes autem,cùm prodissent loca,vbi tantùm stare possent,præuenerunt,quanta spectaturis sufficerent,Imperatoribus relicto necessario transitu. Cuncta verò pars militaris ante lucē per turmas,atq; ordines progressa est cum rectoribus suis,& circa ostia constituta non palatii superioris,sed prope Isidis templum(ibi enim principes nocte illa quiescebant) prima iam aurora incipiente procedunt Vespasianus & Titus, lauro coronati, amicti verò patria veste purpurea, & ad Octauianas ambulationes transeunt. Ibi enim Senatus, & Ducum proceres,& honorati Equites,eorum pręstolabantur aduentum. Tribunal autem ante porticus factum erat,sellæq; eburneæ in eo præparatę. Quò cùm ascendissent,consederunt: Statimq; eos militaris fauor

uor excepit,multis virtutum testimoniis prædicatis. Illi autem inermes erant in veste serica,Laureis coronati.Perceptis autem laudibus eorum,Vespasianus,cùm dicere adhuc vellent,silentii signum dedit, magnáque omnium quiete facta surrexit,& magnam partem capitis adopertus,solemnia vota celebrauit,idémque Titus fecit. Perfectis autem votis Vespasianus, in commune omnes breuiter allocutus, milites quidem ad prandium, quod illis ex more ab Imperatore parari solet,dimittit:ipse verò ad portam recedit,quæ ab eo, quòd per illam semper triumphorum pompa ducitur,nomen accepit:vbi & cibum prius capiebant,& triumphalibus vestibus amicti, Diis ad portam collocatis,cæsa hostia,inter spectacula transeuntes, triumphum ducebant,vt multitudini facilior præberetur aspectus. Pro merito autem narrari multitudo illorum spectaculorum & magnificentia non potest in omnibus, quæ quisq; excogitauerit,vel artium factis,vel diuitiarum operibus,vel naturę nouitate.Nam penè quęcunq; hominibus,qui vsquàm sunt fortunati, paulatim quæsita sunt,aliis alia mirabilia,atq; magnifica,hęc vniuersa illa die Romani Imperii magnitudinem probauerũt.Etenim argenti auriq;, nec nõ & eboris,& in omni genere specierum siue opum multitudinẽ,non vt in pompã ferri cerneres:sed vt ita dixerim,omnia fluere,& alias quidem vestes ex rarissimi generis purpura portari,alias diligentissima pictura variatas arte babylonica.Gemmæ autem clarissimę tam multę,aliæ coronis aureis, aliæ aliis operibus inclusæ traductæ sunt,vt appareret frustrà nos earum vsquàm rerum esse aliquid suspicari.Ferebãtur autem simulacrorum singula,quę illi Deos habẽt,& magnitudine mirabili,& arte non defunctoriè facta, horúmq; nihil non ex pretiosa materia. Quin & animaliũ diuersa genera producebantur,propriis ornamentis induta. Erat autem etiam quę singula portaret magna hominum multitudo, purpureis vestibus,atque inauratis ornata. Ipsi etiam,qui ad pompam fuerant ab illa turba discreti,præcipua & mirabili ornamẽtorum magnificentia culti erant.Insuper his,ne captiuorum quidem vulgus inornatum videres,sed varietas & pulchritudo vestium,natam ex fatigatione corporum deformitatem,oculis subtrahebat.Maximè autem stupor erat machinarum, quæ portabantur, siue pigmatum fabricatio,pro quorum magnitudine timendum viribus portantium occurrentes putabãt.Multa enim in tertium nidum vndiquaq; surgebant, & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat, multis aurata

veste circundatis, cùm aurum prætereà factum, & non factum esset affixum. Multis autem imitationibus bellum aliter in alias diuisum machinas, certam sui faciem ostendebat. Erat enim cernere vastari quandam fortissimam terram, totas verò interfici acies hostium, & alios fugere, alios captiuos duci, muróſque excellenti magnitudine machinis dirui, & castellorum conscendi munimina, & populos ante mœnia ciuitatis disturbari, exercitúmq; intra muros diffundi, cædiſque omnia loca plena, & eorum, qui manu resistere non poterant, preces, ignémq; templis immissum, incendiúmque super domos, & post multam vastationem euersionémque, atq; amnem tristitia defluentem, non in arua culta, neque in hominum, vel pecorum potum, sed per terram ex omni parte flagrantem. Hæc enim Iudæos esse passos, ipsi experti sunt. Ars autem & confectorum operum magnitudo, nescientibus adhuc fieri præsentibus ostendebatur. Erat autem per singula pigmata captæ ciuitatis Dux, ita vt captus fuerat, ordinatus. Multæ autem naues sequebantur. Spolia verò alia passim ferebantur. Eminebant autem eorum, quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum similiter auro factum, sed opere commutato ab vsus nostri consuetudine. Nam media quidem columna basi hærebat, tenues autem ab ea cannulæ, producebantur, formatæ ad similitudinem fuscinulæ, & ad summum quoque in lychni specie fabricatum. Erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Iudæos est festus, indicantes honorem. Post hæc portabatur Rex Iudæorũ, nobilissimũ spolium. Inde transibant plurimi victoriæ simulacra portantes, omnia ex auro & ebore facta. Post quæ Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur. Domitianus autem adequitabat ipse quoq; adornatus pulcherrimè, dignúſque spectari. Pompæ autem finis fuit ad Capitolini Iouis templum. Quò postquàm ventum est, constiterunt. Erat enim vetus mos patrius, operiri donec ducis hostium mortem quispiam nuntiaret. Postquàm igitur cum finem vitę habere nuntiatum est, omniúmq; fauor secutus est, tunc hostias immolarunt, hiſq; omnibus secundò per vota solennia celebratis, in palatium recesserunt.

TITVS





TITVS FLAVIVS SABINVS, patre municipe Reatino natus, pater Vespasiani Imperatoris, expers militiæ, publicum quadragesimæ in Asia egit. Postea fœnus apud Heluetios exercuit, ibiq; diem obiit, superstitibus vxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis: quorum maior Sabinus ad præfecturam vrbis, minor Vespasianus ad principatum vsque processit.

VESPASIA POLLA, mater Imperatoris Vespasiani, honesto genere, patre Vespasio Pollione, ter Tribuno militum, Præfectóque castrorum nata, cuius patria Nursia fuit, locúsq; non procul à Nursia in monte summo eius nomine appellatus, Vespasia, vbi Vespasiorum complura monimenta extant, magnum indicium splendoris familiæ, & vetustatis.





FLAVIA DOMICILLA Statilii Capellæ Equitis Romani filia, vxor Vespasiani Imperatoris, ex qua tres procreauit liberos, Titum, Domitianum & Domicillam. Ea defuncta Cenidem Antoniæ libertam adamauit, habuítq; penè iustæ vxoris loco.

DOMICILLA Vespasii Imperatoris ex Flauia Domicilla filia, quam adhuc priuatus amisit.



TITVS VESPASIANVS, ex patre Vespasiano,& matre Flauia Domicilla natus est III. Calend.Ianuarias,Anno,quo C.Caligula occisus est. Educatus in aula cum Britannico simul,ac paribus magistris & disciplinis,adeousq; à pueris ei familiaris, vt de potione venenata, qua Britannicus periit, bibens, graui morbo periclitaretur.Inerant puero plures animi dotes,quæ simul cum ætate creuerunt, forma scilicet egregia, robur decens in mediocri statura, singularis memoria, docilitas ad omnes ferè tum belli, tum pacis artes. Latinæ & Græcæ linguæ, vel in orando vel poëmatis fingendis promptus & facilis. In Musica admodum exercitatus, vt canere psallereque iucundè sciret. Scribere notis ita nouit, vt omnes velocitate præcelleret,& quæcunq; vidisset,chirographa imitaretur. Vbi adoleuit, Tribunus militum in Germania,& Britannia militauit,tanta fama in vtrisq; prouinciis,vt imaginibus & statuis donaretur. Post militaria stipendia in foro se exercuit. Quæstor factus meruit Præfecturam legionum in Iudæa, Tarichæam & Gamalam vrbes validissimas in potestatem suam redegit, in qua oppugnatione multa egregia documenta strenui ducis edidit. Vespasianus tanta filii virtute lætatus,cũ acciperet Galbam Imperium assecutum, filium Titum ad gratulandum,causa officii,in vrbem præmisit. Itaq; quaquà iter faceret Titus, omnes in sui admirationem conuertit. Vbi verò turbari in Vrbe,rursus cuncta sensit, rediit ex itinere atque ad patrem in Iudæam profectus est.Sed vbi pater rerum potitus ad vrbem contendit, Titus ad perdomandum Iudæam relictus, Hierosolymam crudeli oppugnatione, fame, ferro, flammáq; confecit, Annóq; secundo principatus Vespasiani, VIII. die mensis Septembris,qua sibi nata est filia,cepit, cùm quinquies antè à barbaris Regibus,& à Pompeio magno capta esset.Deinde Romam reuersus,particeps & tutor Imperii factus,cum patre

patre de Iudæis triumphum egit, Censurámq; gessit vnà. Et tribunitiæ potestatis, septémq; consulatuum collega, summa concordia, Imperium Romanum cum patre gubernauit. Quoniam imperante adhuc patre (quod raro fieri solet) appellatus est Romæ Imperator, omniúmq; officiorum curam in se recepit, patrísq; nomine & epistolas & edicta conscripsit. Fuit autem suspecta in eo luxuria, quòd ad mediam noctem nonnunquàm comessationes cum profusissimo quoq; familiarium protraheret, spadonum & exoletorum greges aleret, & Berenicen reginā amaret. Cupidus prætereà rapinarum visus, quòd sub patre venundedisset in concionibus, & nundinasset, & à plerisq; Nero dictus, suspectus omnibus grauiter, si summam rerum attigisset. Sed hæc in melius conuersa, immortalem ei gloriam peperere. Nam vbi patriæ curam suscepit, incredibile est, quantum, quos imitabatur antecelluerit clementia, liberalitate, honorificentia, pecuniæ contemptu, omniúmq; virtutum genere, ita, vt amor & delitiæ humani generis diceretur. Nam conuiuia instituit, iucunda magis, quàm profusa, amicos elegit potiores melioresq;, quibus & principes successores in Rep. post obitum eius vtebantur. Berenicen, quam ardenter amabat, domitis affectibus, in patriam remisit. Eneruatorum greges, ac delicatorum artifices, omnino à se remouit, adeò, vt onus Imperii mutatum ostenderet in temperantiam. Nulli ciuium quicquam ademit: abstinuit alieno. Cæteris verò desideriis, ita animos hominum occupauit, vt ne quem dimitteret sine spe, dicens: NON OPORTERE QVENQVAM A SERMONE PRINCIPIS TRISTEM DISCEDERE. Atque quodam die recordatus inter cœnandum, quòd nihil tota die cuiquam præstitisset, memorabilem illam, meritóque laudatam vocem edidit: AMICI, DIEM PERDIDI. significaturus optimum thesaurum principum esse, fideles amicos, quibus esset quotidie impertienda opera. Magnificæ erat libertatis. Populum in primis vniuersum tanta per omnes occasiones comitate tractauit, vt gladiatorium munus ad spectantium ederet arbitrium, Amphitheatrum extrueret, thermas ædificaret, nauale prælium in veteri Naumachia exhiberet. Clementiæ verò ac mansuetudinis tantæ, vt Pontificatum acciperet ob hoc solùm, vt puras à sanguine seruaret manus, ne cuiusquam necis aut autor, aut conscius esset. Tristia quædam sed fortuitò sub eo acciderunt, vt conflagratio Vesuuii montis, in Campania, incendium Romæ per triduum, toti-

démq; noctes,in quo Serapidis templum,etiam septa,Neptuni ædes, Thermæ Agrippæ,Pantheon,Diribitorium, Balbi theatrum, Pompei porticus,Octauiæ domus cum bibliotheca,templum Iouis Capitolini,cum ædibus, & sacellis coniunctis conflagrarunt, pestilentiæ crudelissimæ.In quibus tamen aduersis parentis solicitudinem atq; affectum ostendit,& consolando & opitulando.Cúmque ita omnibus esset charus, cúmque vulgò, PVBLICAS DELITIAS vocarent, febri correptus, in eodem, quo pater apud Sabinos agro, mortem obiit, Aetatis anno XLII. Imperii II. Philostratus ait Titum necatum à Domitio, veneno leporis marini propinati. Vix credi potest, quantum luctus, Vrbi prouinciisque intulerit huius mors,cùm totus Senatus circa vesperam, ipsius nuntiata morte, in Curiam irruit, quasi perpetuo custode orbatum terrarum orbem defleturus,tantásque ei gratias egit laudésque,quantas congessit ne viuo quidem vnquàm,& præsenti.

In huius Numismate Amphitheatrum apparet, à sinistra parte Sextisolium,à dextra Meta,cum inscriptione: S. C.

Fuit autem Amphitheatrum,ædificium,cuius altissima moles inter Cælium montem, Palatinum & Esquilias pari propè dimensione assurgit,Tiburtino lapide,vndique forma ouata,altitudinis tantæ, vt visio humana ad eius summitatem ægrè conscendat.Fornices habuit quatuor,scilicet Doricum,Ionicum,Corinthiacum, & Compositum, alterum alteri impositum. Tres inferiores in extremo columnis sustentantur: superioris pars pro muro est, fenestris aliquot lucem admittentibus. Est præterea circa eum locum forinsecus, sicut in circis Porticus vnius structuræ, per quam sunt ingressus, & ascensus venientibus ad spectaculum,ita, vt nihil turbet ingredientium & abeuntium iter.Et in singulis superioribus arcubus erant statuæ marmoreæ, cum incrustatione intrinsecus, & extrinsecus cum signis.Extant adhuc in quibusdam fornicibus ornamenta ex gypso. Et sub tanto ædificio subsunt cloacæ,quibus pars molis sustentatur: cuius cauea capiebat loca LXXXV. milia. Et dum fiebant ludi, tota ipsa cauea operiebatur linteis.Media cauea arena spargebatur,vt gladiatores & pugnantes aut inter se,aut cum feris firmiùs ac stabiliùs pedibus consisterent, & labentes molliùs caderent. Vnde arena,pro cauea,sæpenumero ponitur.

ABRICID.

ARRICIDIA TERTVLLO patre equite Romano, sed præfecto quondam prætorianarum cohortium, nata, Titi Vespasiani vxor, quæ absque liberis decessit.

MARTIA FVLVIA, splendidi generis fœmina in locum Arricidiæ à Tito accepta, cum qua suscepta priùs filia, diuortium fecit.



IVLIAM, Titi filiam alteri in matrimonium collocatam, Domitianus patruus Tito viuo corrupit, mox patre & marito orbatam, ardentissimè palámque dilexit, coëgítque abortum facere, & sic vidua abortu periit.



DOMITIANVS Vespasiani Cæsaris, & Domicillæ

filius, frater Imperatoris Titi, IX. Cal. Nouembris, patre consule est natus, per omnia patri & fratri dissimilis, ac Caligulæ & Neroni similior: Peni ac luxui ita deditus, vt in iuuentute constupratus & corruptus diceretur. Pubertatis & primæ adolescentię tempus, tanta inopia, tantáque infamia gessit, vt nullum vas argenteum in vsu habuerit. Bello Vitelliano irrumpentibus militibus, cum Sabino patruo in Capitolium confugit, apúdq; æditum absconditus, latuit. Post Vitellium interfectum progressus, & Cæsar salutatus, honorem præturæ vrbanæ, cum potestate consulari accepit, ita vt Prætor diceretur, cùm tamen iurisdictionem Prætoriam transtulisset ad alterum Prætorem. Dominationem tam licenter exercuit, vt iam tum qualis futurus esset, ostenderet. Et ne fratre inferior videretur dignitate & operibus, expeditionem in Galliam & Germaniam tentauit, non necessariam, dissuadentibus amicis. Sellam patris & fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur. Triumpho Iudaico, equo albo comitatus est vtrunq;, modestiam præ se ferens. Pollicitationibus & donis variis solicitauit multos Reges, vt aduersus Alanos mitteretur. Defuncto patre, se fraudatum testamento publicè iactans, fratri Tito insidias struere est conatus. Cùm iam mortuus esset, obliquis & crebris orationibus eum carpens, efferri iussit, & vnico consecrationis honore tantùm dignatus. Ab initio moderatus, modestus, & grauis, clementiam simulans: secretum sibi locum sumens, muscas captare, ac stylo peracuto configere solebat, vt quidam interroganti, esséťne quis cum Cæsare, non absurdè responsum est, NE MVSCA QVIDEM. Circa administrationem Imperii aliquando se inconstantem præstitit, mistura inæquali vitiorum atque virtutum, donec virtutes in vitia deflexit. Sumptuosissima spectacula edidit, Seculares ludos fecit. Instituit quinquennale certamen Capitolino Ioui, Musicum, Equestre & Gymnicum. Fuítque autor Capitolinorum agônum, per quos Annus magnus & lustrum diligentiùs seruabatur. Omnibus certaminibus præsedit habitu deorum vestitus, Germanicam gestans coronam, cum effigie Iouis, & Iunonis, Mineruæque. Erant enim hæc spectacula Ioui Capitolino dicata: qui & more Caligulæ Dominum se, & Deum appellari iussit, arrogantiæ, & gloriæ nimis immensæ, & penè inauditæ, vtpote qui non modò sibi aureas argenteásq; statuas, & arcus triumphales constitui iussit: sed & assumpto nomine Germanici, Septembrem ac Decembrem menses à se denominauit.

Cong

Congiarium populo,epulum Senatui,Equitíque dedit. Multa ædificia publica fecit. Ioui custodi ingens templum in Capitolio erexit, séque in sinu Dei consecrauit.Bibliothecas incendio assumptas,petitis vndique ex Alexandria exemplis,reparauit.Expeditiones quatuor habuit,non sine magna Reip.pernicie : Vnam aduersus Sarmatas,in qua Legio eius cum Duce interfecta est : Alteram aduersus Cattos: Duas aduersus Dacos, à quibus Oppius Sabinus vir consularis, & Cornelius Fuscus præfectus cohortium prętorianarum,cum magnis copiis occisi sunt.De Dacis , Cattísq; duplicem triumphum egit. De Sarmatis solam Lauream vsurpauit, quam Ioui Capitolino retulit. Bellum ciuile aduersus se motum mira felicitate confecit.In communi rerum vsu quædam nouauit,quædam sustulit. Histrionibus conuiuiis interdixit.Castrari mares vetuit.Ius æquissimè dixit : tantáque cura,& modestia in magistratibus coërcendis est vsus, vt neque modestiores,neq; iustiores extiterint vnquàm.Tantæ ab initio clementiæ,vt ab omni cæde abhorreret. Cupiditatis & auaritiæ nullam quidem suspicionem habuit.Abstinentiæ & clementiæ aliquot experimenta dedit.Mox ad crudelitatem conuersus,nobilissimos ex Senatu plureis interfecit. Philosophos ac Mathematicos Vrbe Italiáque submouit.In dies ferocior,imò magis sanguinarius Nerone. Ad rapinas dehinc animum adiecit,nihilq; pensi habuit , quin prædaretur omni modo bona viuorum,ac mortuorum, qualicunque occasione. Vsqueadeò libidinosus , vt inter vulgatissimas meretrices noctu diúq; versaretur.Cúmq; ita terribilis cunctis & inuisus esset , tandem oppressus & trucidatus est,amicorum libertorúmque conspiratione, ætatis Anno XLV. Imperii XV. Cadauer eius, loculo plebeiorum inclusum,à vespillonibus elatum est,ac à Phille nutrice in suburbano suo Latina via funeratum. Mortem eius grauissimè tulerunt milites. Sed Senatus adeò lætatus est , vt contumeliosissimis adclamationibus mortuum laceraret,& imagines eius,solo affligi iuberet , & eradendos titulos,abolendámque omnem memoriam decerneret. Statura fuit procera,vultu modesto,ruborísque pleno , grandibus oculis,verùm acie hebetiore. Prætereà pulcher ac decens toto corpore, maximè in iuuenta:posteà caluitio,obesitate ventris , & crurum gracilitate deformis.

In huius Numismate, Imperator & Tribunus palliati dextra tenentes ramum lauri,apparent. Quos sequuntur pueri & puellæ ma-

trimi patrimíque, & mulieres, cum inſcriptione LVD. SEC. Coſs. XIIII.

Ludi Seculares à ſeculo, quod eſt ſpatium vitæ humanæ longiſsimum, dicti, ſingulis centum annis celebrabantur. In quibus triduum, & trinoctiũ ſacris totus populus operabatur ad aras Iouis, & Apollinis, quibus mactabatur candidus taurus, & hinc canebatur carmen à pueris ac puellis matrimis patrimíſque. Deinde Iunonis, cui iuuenca itidem candida, & hæc quidem interdiu, noctu verò Dianæ, Proſerpinæ, Terræ & Parcarum, quibus furuiæ hoſtiæ, lumináque accendebantur. Porrò præco cùm ad hos ludos conuocabat, ad eos vti ludos venirent dicebat, quos nemo ipſorum anteà ſpectaſſet, nemo eſſet poſtmodùm ſpectaturus. Primos hos ludos fecit Publicola, Anno ab Vrbe condita CCXLIIII. Secundi facti ſunt ab Vrbe condita DII. P. Claudio Pulchro, L. Iunio Bruto Coſs. vndecimo anno primi belli Punici. Tertii, primo anno tertii belli Punici M. Manlio, M. Cenſorino Coſs. Quarti, non expectato iuſto tempore, L. Aemilio Lepido, L. Oreſte Coſs. Quintos Auguſtus & Agrippa fecerunt Furnio, & Syllano Coſs. reductos ad æquum tempus, in quibus cantatum eſt in Capitolio à virginibus puerîſque carmen Horatianum, quod Seculare inſcribitur. Sextos Claudius Cęſar anticipatos ſe III. & L. Vitellio principis patre III. Coſs. Septimos Domitianus veriore computatione ſe XIIII. & L. Minutio Ruffo Coſs.



DOMITIAM LONGINAM ab Aelio Lamia, cui nupta erat, abduxit Domitianus, ex qua in ſecundo conſulatu filium tulit, alteróq; anno conſalutauit, vt Auguſtam. Hanc Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiauit, intráque breue tempus impatiens diuortii, quaſi efflagitante populo reduxit. Ob quam fœminam Aelium Lamiam occîdit Domitianus.

NERVA



NERVA COCCEIVS, filius Neruæ, matris nomen nuſquàm legitur. Sed claris, vt Dion ſcribit, ortus natalibus, oppido Narnienſi genitus, ſextum & ſexageſimũ agens annum, Imperii habenas inuitus accepit, memor periculi, quod aliquãdo euaſerat, qui ab Aſtrologis per maleuolentiam & mendacem infamationem delatus apud Domitianum, vix mortem effugit: ſed ab amico Mathematico, qui mortem eius eſſe proximam teſtatus, liberatus eſt. Poſtquam igitur Nerua princeps Romanus conſtitutus eſt, ortus eſt rumor, venire Domitianum & affore, quo rumore ita trepidare cœpit, vt colore mutato, ac amiſſa voce, vix conſiſteret: ſed à Parthenio interfectore Cæſaris Domitiani confirmatus eſt, & recepta fiducia ad ſolenne delinimentum conuerſus, in Curia exoptatiſsima gratulatione ab omnibus exceptus eſt. In initio Imperii mox beneficentiæ, clementiæ, & liberalitatis ſigna exhibuit, Reos maieſtatis abſoluit, Exules in patriam reuocauit, omnes, qui metu diffugerant, reduxit. Seruos, & libertos, qui dominis inſidias ſtruxerant, occidi iuſsit, edito decreto, ne deinceps ſerui dominos cuiuſquam criminis poſtularent. cauit & edicto, ne quis maieſtatis, aut Iudaicæ ſectæ quempiam accuſaret. Multi tamen falsò delati, inter quos Sura, Philoſophus, condemnati & puniti ſunt. Facto igitur tumultu, quaſi multi accuſarentur iniuſtè, Fronto Conſul exclamauit, MALVM ESSE EVM IMPERARE, SVB QVO NEMINI QVIPPIAM CONCESSVM SIT: SED LONGE PEIVS SVB EO VIVERE, SVB QVO OMNIA MAXIME LICEANT. Quo ſalubri dicto Nerua admonitus, ne talia deinceps fierent, ſummo ſtudio curauit, atque iureiurando affirmauit, ſe nunquàm deinceps Senatorem, etiam deprehenſum aduerſum ſe in conſpiratione, necaturum, quod & præſtitit. Nam cùm Craſſus Calphurnius cum quibuſdam coniu-


ratis,aduersus Neruam coniurasset, coniuratione detecta, dum ludi agerentur, cum cum cæteris coniuratis assidere iuxta se voluit (qui nesciebant coniurationem patefactam) & gladios illis obtulit,inspicerent, & pertentarent satisne acuti forent, quasi minimè curaret, si vel tunc eo in loco occideretur,ita erat animi planè erecti, miniméq; cadentis. Beneficentiæ etiam & liberalitatis tantæ, vt à Domitiano spoliatis ea redderet,quæcunque in Aula & fisco reperta sunt,summa fide.Ciuibus egenis,vt vitam sustentarent,decies & quinquagies centena milia Numûm erogauit. Iussu insuper eius Senatores delecti,qui agros emerent,diuiderentq; egenis. Puellas pueròsque pauperibus parentibus natos,sumptu publico per Italiam ali iussit. Ciuitates afflictas releuauit, in complures ingentia beneficia contulit. His exhaustus sumptibus,vestes,vasa aurea,atque argentea, supellectilem omnem,agros item cum domibus,& omnia præter quædam necessaria,vt amicos iuuaret, vendidit. Vtq; impendia leuaret,equestres cursus,spectaculorum & ludorum genera sustulit, nec sibi aureas statuas argenteásve erigere passus est. Nihil vnquàm de suo arbitrio statuit,principes viros suo consilio adhibens. Leges tulit multas.Dignos potissimùm ad honores euexit, nec beneficētia cuiquam bono defuit. M. Vlpium Traianum in filium adoptauit, móxque in Curia Cæsarem designauit, ad quem Imperii iura atque insignia in Germaniam vsq;,cui tunc præerat,transmisit. Hunc Traianū Hispanum peregrinum,nulla secum interueniente cognatione,etsi propinquos & cognatos haberet multos, propter singulares eius virtutes elegit,publicæ magis,quàm priuatæ saluti consulens,& virtutem hominis, non genus spectans. Omnibus igitur in ordinem bonum reductis & constitutis,febre correptus moritur Anno ætatis LXVIII. postquàm regnauerat annum vnum, menses tres, dies nouem, vir probus,honestus,omniúmq; laude dignus.

In huius Numismatis parte posteriore,repræsentatur Palatii Neruæ descriptio talis: In medio collocata est porta supernè ducta in arcum,cui vtrinq; incumbit vna Victoriæ statua,altera manu ad medietatem arcus extensa,coronam tenens. Sunt deinde ex vtroq; latere illius portæ,constitutæ binæ columnæ ordinationis Corinthiacæ, distantes,exiguo spatio, in quo frondium & florum circulares flexus,ornamenti loco,continentur. Tandem etiam ad vtramq; partem

iuxta

iuxta exteriorem dictarum columnarum fenestra est, vtrinq; habens columnam paruam ordinationis prioris, quo ad basim, Tympanum, & Capitulum attinet. Est prætereà supra vtriusq; fenestræ Tympanum, effiguratus exercitus militum vrbem oppugnantium, & in parte quidem dextra, arietem agentium ad muros, in sinistra verò pugnantium sub scutis. Vltimò latitudinem palatii vtrinq; claudit vna columna dispositionis superioris. Capitibus columnarum maiorum, quarum ad vtrumq; portæ latus, tres positas esse diximus, corona imposita est, quæ sic vsitatè appellatur: additáq; sunt ei superius & inferius varia ornamenta, ex multiplici frondium, florum & fructuum ligatura. In parte suprema directè supra Palatii portam, in spatio latitudinem portæ habente, hæc inscriptio addita est: S. P. Q. R. IMP. NERVA CAES. AVG. P. MAX. TRIB. POT. II. IMP. II. PROCOS.

Deinde ex vtraq; huius tabellæ parte, directè supra singulas sex columnas maiores Stylobatæ captiuorum ligatorum constituti sunt. Supra fenestras verò inter binos extremos Stylobatas ad dextram descripta est expeditio Imperatoris Neruæ: in sinistra verò repræsentatur actus concionis Imperatoriæ ad milites. In parte infima hæc inscriptio addita est: PALATIVM NERVAE.



TRAIANVS VLPIVS, ex patre Traiano genitus, primus Cęsarũ peregrinus, ex familia antiqua natus Italicę in Hispania, Anno ætatis XLII. in Agrippina colonia à Nerua Imperatore insignia Imperii accepit, vir sanè iustus & robore pręstans. Vt Romanę Reip. statum oppressum & grauatum, imò conculcatum à Tyrannis tutaretur & defenderet, & in pristinum suum statum redigeret, diuinitus esse creditur. Vbi Imperium assumpsit, edicta quędam ad

Senatum misit, atq; illud in primis, nunquàm suo iussu bonum virum occisum iri, aut ignominia notari, quod per totum Imperii tempus inuiolatum seruauit. Deinde mox Aelianum & Prætorianas cohortes, quæ aduersus Neruam, seditionem mouerant, veluti importunos à se dimisit. Romam deinde ingressus, apud populum mitis, apud Senatum venerandus, omnibus deniq; amabilis est habitus, grauis nulli, nisi hostibus. Multa in emendationem publicorum negotiorum constituit. In pauperum alimenta multa elargitus est. In amicos beneficus, & liberalis, tanquàm vitæ conditione par, amicis vtebatur. Venationibus maximè delectabatur, adeò vt ipse multas feras, præcipuè Leonem, confecerit: nullus in eo liuor, nullą malignitas, neminem omnino perdere studuit. Studiosos & bonos viros honoribus, fauore, & dignitate auxit. Iræ ita moderabatur, vt nunquàm ab ea vinceretur, ac teste Suida, nemini inuidit, neq; quenquam dignitate vlla priuauit: sed fouit bonos omnes, idcirco neminem verebatur. Et cùm duo sint, quæ ab egregiis principibus expetantur, sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobiq; prudentia, tantus erat, vt in eo maximarum rerum modus, quasi temperamento virtutis emicuisse videretur. Vini duntaxat appetens, & in adulescentulos pronus, belli auidus ac studiosus. Militarem disciplinam tum seuerè, tum remissè exercuit. Bellum grauissimum in Dacos sumpsit, quos ingenti clade affecit. Decibalum regem Dacorum supplicem ad genua procidentē, pacem petere coëgit, vnde Dacicus dictus. Et cùm vulneribus ligamenta suis militibus deessent, propriæ vesti non pepercit, quam in lacinias conscissam, sauciatis est partitus. De victis Dacis & Imperio subactis, regios thesauros, quos Decibalus in alueo fluuii subter vada defoderat, inuenit, extruxit Marcianopolim Mœsiæ, quam à nomine sororis Marciæ, appellauit: tum quoq; Nicopolim: in Istro Lapideum pontem, opus sanè mirandum, & maximè memorabile. Arabiæ partem, quæ ad petram vergit, occupauit totam, perdomuítque. Dehinc reuersus Romam, spectacula magnifica edidit, per centum vigintiquinque dies continuos. In quibus bestiæ iugulatæ sunt aliquando mile, nunc dena milia, partim feræ, partim cicuratæ. Nec quicquam tamen per ludos, & otium à bellis, segnior ad ciuilia commoda. Doctos magno prosecutus est honore, adeò vt Poëtas muneribus ornauerit. Celso statuam publicè poni iussit. Et quendam Philosophū in curru triumphali, honoris causa, posuit. Plutarcho Historico & Philosopho

vsus.

vsus est præceptore,& magistro. Sæpe litigantes pro tribunali audiuit,Ius frequentissimè dixit. Fuit prætereà animi alti , & erecti , qui semper aliquid præclari ac magnifici moliretur. Circum collapsum ampliorem atque elegantiorem restituit,complura & valde necessaria ædificari curauit,vt portus & ædes publicas,Pontinas paludes, saxis constratis viis circum ac pontibus magnificentissimi operis permeabiles fecit. Pecuniæ attritæ vsum sustulit,& numos adulterinos conflauit. Bibliothecas ornauit:inter quas vnā Vlpiam vocauit,& libris linteis ornauit:in quibus gesta principum , Elephantinisq; Senatus consulta conscribi iussit.Amicis statuas posuit.In foro ingentem columnam statuit,siue vt illa pro sepulcro esset , siue in ostentationem eius operis,quod ille circa forum egit,vt perpetuæ memoriæ & sepulcro seruiret.Pòst in Armeniam expeditionem sumpsit , & cùm fines Parthorum , & Armeniorum ingressus esset , reges ac regionis Satrapæ,cum muneribus ei occurrerunt,equúmq; duxêre ita doctum,vt regem adoraret. Cúmque omnia vicina ferè sine armis subegisset,& omni potitus Armenia,reges,qui spontè deditionem fecerant, aut in fidem venerant , vt amicos benignè tractauit : qui verò contumaces abiuissent,omnes paruo negotio subegit. Senatus in honorem eius multa decreuit, atque illud in primis vt Optimus appellaretur. Dehinc Euphratem flumen ponte iunxit,vniuersámq; Adiabenorum gentem subegit, cum plerisque Assyriæ vrbibus, & Babylonem vsque penetrauit.Scripsit prætereà Senatui de victis à se populis,ob quæ Senatus triumphalem illi arcum , in illius foro extruxit,multo ornatu.Mox Arabiam petit,Agarenósq; rebellantes adortus est frustrà.Tum prodigia multa visa sunt. Apparebant enim Irides,Tonitrua,Fulgura,Grandines immensæ , cum grauibus tempestatibus,etiam terræmotus,tam atroces & funesti, vt vix saluus euaserit. Cùm verò aduersus Agarenos consilia illi non succederent, inde,re infecta,digressus, ac paulò pòst valetudine aduersa correptus, apoplectus primùm,demum aqua intercute repletus, apud Selenuntem Ciliciæ vrbem,quæ & Traianopolis pòst dicta est ,repentè extinctus est,cùm imperasset annos XIX. menses VI. dies XV. ætatis Anno LXIIII. Cuius exusti cineres vrna aurea ad basim columnæ suæ,Romæ conditi sunt.

A tergo huius Numismatis effiguratus est circus maximus:in cu-

ius medio murus, seu linea longitudinis in duo media æqualia circundiuidit. In extremitatibus muri metæ ternæ apparent muro impositæ. In medietate muri obeliscus summæ altitudinis, collocatus est. Inter metas & obeliscum, vtrinque bigis quadrigísque pugnam committentes exsculpti sunt. Circa murum quidam equis, bigis, & quadrigis certantes, videntur cum nulla inscriptione.

Quia hic Circi Maximi mentio incidit, operæpretium mihi videtur, eius descriptionem, ex variis autoribus desumptam, addere.

CIRCVM à cœlestium imitatione institutum referunt. Nam ei quidam à domiciliis cœli quoq; duodecim adesse ostiorum ingressus asserunt. Ex planetarum numero septem impositas habere insigneis metas, terminósque ad Orientem adesse, atque ad Occidentem longo inter se tractu distanteis, quòd bigæ & quadrigæ per media vici spatia vti Sol, vtiue Luna per Zodiacum discurrentes certent, éxq; horarum numero missilibus perfici vigintiquatuor. Certāteis itidem quatuor discerni classibus, & suum singulis vestibus adesse colorem, virentem, quo herbidum anni tempus: roseum, quo æstatis ignitum aërem: album, quo expalescentem autumnum: fuscum, quo tristem hyemem significarent. Huius Circi maximi areæ longitudinem fuisse stadiorum trium, latitudinem stadii vnius, atq; capacem CCLX. milia hominum sedentium, Sextus Ruffus tradit. In medio eius est murus lapidibus marmoreis extructus, in longitudinem productus: in cuius basi certantes imagines bigis & quadrigis exculptæ erant. In muro verò obeliscus, & metæ collocatæ. In interiore parte Circi Maximi stagnum in susceptionem aquarum, defossum fuit, altū latúmq; pedes denos. Post stagnum ædificatæ porticus tectura triplici harum pauimenta habuerunt, vt in theatro parum superstantia lapidea sedilia, in superioribúsque lignea. Et circa eundem Circum extrinsecus alia fuit porta, cuius tecturæ officinas in se habens, & habitationes super eas, per quem ascensus & ingressus esset venientibus ad spectacula, iuxta quamque officinam, ita vt nihil tot milia ingredientium atque abeuntium turbaret. Habuit præterea Circus maximus præclarissima coram se ædificia & in primis templum Consi, qui erat Consiliorum deus: cuius in honorem equestres ludos celebrauit Romulus in raptu Sabinarum. Habuit & fanum Veneris,

quod

quod Fabius Gurges,consulis filius,ex mulctatitio ære fecit, quibusdam matronis stupro damnatis. Habuit & ædem Cereris, & ædem Iuuentutis à Cn. Licinio Duùmuiro positam. Habuit & templum Mercurii.Erant præterea in eodem Circo tres aræ diis Samothracibus,ad tres columnas affixæ.Vna diis magnis,Altera diis penatibus, Tertia diis coeli & terræ,à quibus omnia orta esse constat.Quos Samothraces appellant deos Magnos,Roma suos Genios & Penates, vrbísque custodes,quos primùm Aeneas tulit in Latium. In eodem etiam Circo Stertinius fornicem extruxit. Scribit Dion Traianum Imperatorem Circum Maximum collapsum, ampliorem elegantiorémq; restituisse.Et Suetonius tradit, deustis vtrinque lateribus, ex lapide Naumachiæ Domitiani extructum esse.In hoc Circo Maximo ludi celebrati,Circenses dicti sunt. In illis autem ludis septem fuere curricula solennia (nam sexteno circuitu currebant aurigæ) & vigintiquatuor missus:missus verò ad centenos propagauit. Equis mira velocitate currentibus insidentes,leuissimos currus ingenui pueri cursu quàm citatissimo agitabãt,qui pręcipua arte satis gnari doctiq; erant adamussim seruare normam,vt ipsi, aut quadrigæ agitatæ aliquo temporis puncto metas contingerent, útque per singulos missus,idem currus per quina spatia sine offensione circuiret. Fuitq; moris,vt ante Circensium commissionem,ministri cum equis desultoriis,missus exituros nuntiarent.In his quoque quatuor factiones pro anni temporibus,videlicet Veneta,quæ cærulea: Prasina,quæ Viridis dicta est: Alba & Rosea miro fauentium studio coli celebraríque solitæ sunt. Viridis enim color Veri dicatus erat,æstati Roseus, hyemi Venetus,Albus Autumno. Nonnulli verò per elementa colores diuisere,quippe Hyacinthus aëri dabatur, Coccus ætheri,bissus terræ,purpura mari. pannóq; versicolore per singulas factiones certabatur, in quibus spectantiũ fauor,& aura popularis,gratiáq;,& studium ad victoriam multum loci dedit. Nam tanto fauentium studio,hincinde certabatur,cùm suos quisque clamore & plausu foueret, vt magis studio, & colore panni ac fauore, quo affecti erant, quàm vera virtute niterentur,ísque popularis fauor & gratia non dubiam plerunq; victoriam dedit,adeò vt non populus modò, sed & principes ingenti studio & gratia factionum contenderent. Erántq; Circensium duo genera,Patricii,qui per Patres: Plebeii,qui per plebem agebantur stato die,mense Nouembri.In quibus pręter spectacula etiam

deorum ſimulacra, nonnunquàm Imperatorum & Ducum imagines habitu triumphali, ob ſtudium fauorémque popularem erga Principes, equeſtres aut pedeſtres, aliquando victorias cum palmis ferculáque & tenſa, currúſque Elephantorum produci, & prælata pompa efferri ſolebant. Loca etiam, per quæ pompa & deorum ſimulacra vectabantur, vt recondita ſacra è cœnaculis deſpicerentur, oraculo moniti, velis cooperiebantur. Præualuítque mos, vt Prætor aliúſve Magiſtratus, qui ludis præerat, mappam aurigis mitteret, & curſus ſignum daret, quod erat futurorum Circenſium indicium.



PLOTINAM vxorem Traianus habuit, ex qua nullos liberos ſuſcepit. Huius opera Adrianus, mortuo Traiano, eiúſque morte, vt adoptio procederet, per aliquot dies occultata, ſuppoſito qui pro Traiano feſſa voce loqueretur, ad Imperii faſtigium peruenit. Cuius beneficii Adrianus memor, mortua ea, per nouem dies atratus inceſſit, eíque templum erexit, & hymnos in eam fecit, ac excellentiſsimè coluit.



PVBLIVS AELIVS ADRIANVS ex Aelio Adriano cognomento Afer, & Domitia Paulina, Romæ

IX. Cal. Februarias, Vaspasiano VII. & Tito V. Coss. natus est. Decimo ætatis anno, patre orbatus, sub tutoribus Vlpio Traiano, consobrino, & Cælio Taciano vixit. Puer suapte natura disciplinis deditus, & studiorum amore in vtraque lingua bene eruditus, ita, vt multa soluta oratione, & Poëmata quædam scriberet. Venationi suprà quàm dici potest, deditissimus, qui inter venandum defracto humero, etiam crus penè contriuit. A Traiano loco filii est habitus, & à patria abductus, Decemuir litibus iudicandis constitutus est. Hinc Tribunus secundæ legionis. Deinde in Mœsiam profectus, à Mathematico de futuro Imperio certior est factus. Tum fauente Plotina, Quæsturam gessit. Post Quæsturam, vt Traiano se familiariorem exhiberet, ad bellum Dacicum est profectus. Ibi primæ legionis Præfectus, à Traiano gemma Adamante donatus, quam à Nerua Traianus acceperat, vnde maiorem spem successionis concepit. Posteà legatus prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit. Dehinc Antiochiam profectus, literas adoptionis accepit, ac morte Traiani intellecta, scripsit ad Senatum, petens Imperium cõfirmari, abnuens omnem titulum & honorem, quem non Senatus iussisset. Dion scribit, Adrianum nunquàm à Viuo Traiano adoptatum fuisse, sed factione Plotinæ, quæ illius amore flagrabat, vt ex subscriptione Plotinæ posteà cognitum est. Initio Imperii omnem operam dedit, vt pacem in toto orbe componeret. Vnde omnia trans Eufratem ac Tygrim reliquit, deficientibus nationibus, quas Traianus subegerat: quoniam Mauri lacessebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri non poterant, Aegyptus seditionibus vrgebatur, Licia & Palæstina rebellabant, qui ad singulas prouincias missis Præsidibus omnia pacauit. Traiano diuinos honores à Senatu impetrauit, eiúsque imaginem curru triumphali vexit. Publica spectacula, quæ Parthica dicta fuêre, celebrauit. Iussu deinde Senatus, sunt occisi Palma, Celsus, Nigrinus, & Lucius viri consulares, quòd insidias Adriano sacrificanti struxisse ferebantur. Romam reuersus, se excusauit, iurauítque nunquàm se Senatorem, nisi ex Senatus sententia, puniturum. Et quamuis maximam ob id inuidiam sibi conciliauerat: facilè tamen leniebat. Populo enim, vt gratiam mereretur, congiarium donauit, & pecuniam remisit, quæ fisco debebatur: ab vniuersis debitoribus damnatorum bona in publicum ærarium contulit: Senatores pauperes sumptibus iuuit ad explendos honores.

Alios dignitate honestauit, nec passus est quicquam à se peti, sed pro necessitate cuiusque omnia faciebat. Gladiatorum munus sex diebus continuis exhibuit, natali die feras multas edidit, optimos quosque semper de Senatu in contubernium asciuit. Senatui legitimo semper interfuit, fastigium Senatus quantum poterat, extollens. Conuiuiis amicorum sæpe interfuit. Aegros bis in die, & nonnullos equites & libertos visitauit, atque solatiis refouit, instar priuati hominis, sine regio ornatu Imperatoriáq; pompa Vrbem peragrauit. Tribunatum nisi cuius ætas prudentia & robore firmaretur, nulli dedit. Aetatem & in milite requisiuit, eorum numerum, & notitiam tenens. In Britannia murum per octingenta milia passuum primus duxit, qui Barbaros à Romanis discerneret. Dehinc in Hispanias venit. Aedem Augusti in Terracone restituit, Germanis Regem dedit: Maurorum motus compressit. Bellum Parthorum sedauit, per Asiam in Achaiam nauigauit. Eleusina sacra suscepit. Et hinc Romam, deinde in Aphricam transiit, multum prouinciis benefaciens, Reges omnes ad amicitiam suam inuitauit. Peragrata Arabia, Pelusium venit, ibi Pompei sepulcrum innouauit, eíque parentauit. Arithmeticæ, Geometriæ, Picturæ peritissimus fuit. Literarum & Poëmatum studiosissimus, ita vt multa amatoria carmina scriberet, & versus componeret. Professores omnium disciplinarum locupletauit, & ditauit, licet quæstionibus eos agitaret. Famæ tam cupidus, vt libros à se scriptos de sua vita libertis suis publicandos, suis nominibus daret. Armorum & rei militaris peritissimus erat, vocatósque ad militiam, equis, mulis, vestibus, sumptibus, & omni ornatu donauit. Tantas etiam copias habuit, quantas Imperatorum ferè nullus. Peditum ducenta, equitum quadraginta milia, Elephantorum trecentorum bellicosorum numerum, Curruum præterea ad prælium instructorum, duo milia, ac armorum in supplementum trecenta milia, & hæc quidem terrestribus copiis. Maritimis verò minorum nauium duo milia, triremium à sesquplis in quinqueremes, mile quingentarum classem, Instrumentorum quoque naualium numerum bis totidem. Ad hoc naues partim auro, proris, partim puppibus exornatas, quas Thalomigas appellant, ad belli pompam, quibus Imperatores vehi consueuere, octoginta. Pecuniarum præterea in thesauris Aegyptiorum, talentorum quatuor & septuaginta milia habuit. Peregrinationis ita cupidus, vt omnia quæ legerat de locis Orbis, præsens vellet

addis-

addiſcere. Inſtaurauit Romæ Pantheon, Septa, Baſilicam Neptuni, forum Augusti, Lauacrum Agrippæ. Fecit ſibi ſepulcrum & pontem ſui nominis, innocentes pauperes ditauit, ſacra Romana diligentiſſimè curauit, peregrina contempſit, officium Pontificis Maximi peregit. Dicaculus & iocoſus fuit. Vno tempore ſcripſit, dictauit, audiuit, & cum amicis confabulatus eſt. Cùm autem penè totius Orbis peragraſſet ſitum, nudo capite, etiam in ſummis frigoribus & imbribus, in morbum lethalem incidit, déque ſucceſſore ſolicitus, ſciebat enim Seruianum, Fuſcum, Pletorium, Gentianum Imperii affectatores eſſe, quos deteſtatus eſt, moríque coëgit, Ceionium Commodum Verum, multis inuitis adoptauit, eúmq; L. Aelium Verum Cæſarem appellauit. Tum ludos Circenſes, & donatiuum populo dedit, ac militibus. Commodus valetudinarius, ingraueſcente morbo Cal. Ianuariis periit. Tum Adrianus Annium Antoninum, qui poſteà Pius eſt dictus, adoptauit, ea lege, vt ſibi adoptaret Annium Verum, & M. Antonium, qui poſteà duo primi Auguſti gubernarunt. Adrianus poſteà graui dolore affectus, venenum à medicis non ſemel poſtulauit, & ob animi impatientiam, ſemel atque iterum à ſeruis & libertis gladio iugulari petiuit. Tandem Baias petiit, vbi nihil profecit, accerſito Antonino in conſpectu eius apud Baias moritur, Anno ætatis LXII. cùm imperaſſet Annis XXI. menſes XI. Vir fuit procerus ſtatura, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promiſſa barba, vt vulnera, quæ in facie erant naturalia, tegeret. Primus enim Cæſarum Adrianus, Dione teſte, barbam nutriuit. Memoriæ, & omnis penè artificii opifex incredibilis, Ingenii liuidi, laſciui, & ad oſtentationem ſui, inſolentis.

Altera Numiſmatis pars talis eſt: Pons quadratis lapidibus, quatuor fornicibus in Tyberi fabrefactus apparet. Cui vtrinque quatuor columnæ inſiſtunt, in quarum ſummitatibus quatuor ſtatuæ marmoreæ ſunt poſitæ. Ponti coniunctum eſt ſepulcrum, vel moles Adriani, cum inſcriptione: CONSECRATIO.

Pons Aelius, dictus eſt ab Aelio Adriano Imperatore, qui cum pontem iuxta molem ſui ſepulcri excitauit iuxta Tyberim, ea de cauſa, vt per Tyberim tranſeuntes propius molem aſpicerent, poſitam è regione Mauſolei, quod Auguſtus fecerat. Iam enim Auguſti

monumentum repletum erat, neq; quisquam amplius in eo sepeliebatur, & ipse primus Adrianus in ea, quã ipse extruxit, mole, sepultus dicitur, vbi ipsius cineres, & omnium Antoninorum post eum conditi, vt incisæ inscriptiones & Epitaphia illis, hodie ostendunt. IMP. DIVI TRAIANI PARTHICI, FILIO DIVI NERVAE, ADNEPOS TRAIANO, AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II. COSS. III. P. P. ET DIVAE SABINAE IMP. CAES. T. AELIVS ADRIANVS ANTONINVS AVG. PIVS, PONT. MAX. TRIB. POT. II. DESIGN. IIII. COS. II. P. P. PARENTIBVS SVIS. Item, IMP. CAESARI L. AVRELIO VERO AVG. ARMENI. AC MED. PARTHIC. PONTIF. TRIBVNIT. POT. VIIII. IMP. V. C. COS. III. P. P.

Erat olim tota ea moles extrinsecus marmoribus incrustata, variisque columnis ex diuerso marmore, altera super alteram extructa, quarum quædam ad S. Petri basilicam ornandam translatæ sunt, intérq; binas columnas statua erat posita. Statuas aliquas, vtpote Antinoi, Adonidis, Persei, pulcherrimas recèns inuentas. Eam molem Procopius bello Gothico optimè describit, cùm inquit, Adriani quõdam Imperatoris sepulcrum, extra portam Aureliam, siue, vt nobis placet, Aeliam, iactu lapidis impositum. Primus eius ambitus quadrigati figuram habet. Constat enim totus ex marmore pario, summa artificum diligentia ædificatus. In medio verò huius quadrati, rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta, vt in suprema eius parte area sit, cuius diameter, vix iactu lapidis transigitur. Quam molem Bellissarius occupans pro arce & præsidio contra Gothos vsus est. Erant olim in summa parte vndiq; statuæ magnæ hominum, equorum, quadrigarúmque, miro artificio elaboratæ. Has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes deiecerunt. Visuntur adhuc in hoc monumento boum capita, & quædam alia insculpta.

Aliud



Aliud Numiſma aureum Adrianus fecit, in cuius priore parte fuit effigies ſua ſuprà poſita, in poſteriore Traianus & Plotina, quorum beneficio ad faſtigium Imperii peruenerat.



AELIVS ADRIANVS, cognomento Afer, conſobrinus Traiani Imperatoris, Adriani pater. Cuius origo ab Adria oppido agri Piceni, quod mari Adriatico nomen dedit, manaſſe fertur: quæ poſteà in Senatum aſcita, magiſtratibus claruit.



DOMITIA PAVLINA Gadibus orta, Imperatoris Adriani mater, Romam traducta, ex Aelio Adrianum, & Paulinam filiam procreauit.





SABINA, Adriani Imperatoris vxor. Hanc vt aſperam & moroſam, & quod cum Septitio Claro, Præfecto Prætorii, & Suetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, familiarius, quàm reuerentia domus aulicæ poſtulabat, egerat, dimiſſurus erat, ſi priuatus fuiſſet. Seruilibus penè iniuriis affecta, ad voluntariam mortem compulſa eſt, nec ſine fabula veneni dati ab Adriano, defuncta eſt.

ANTINOVS ex Cethnide, Bithiniæ vrbe, quam Claudiopolim vocant, ortus, eximiæ pulchritudinis puer, in delitiis Adriani habitus, quem mortuum ſiue in Nilum ceciderit, ſiue immolatus, muliebriter fleuit. Quare ob eius amorem, vrbem eo in loco, quo oppetiit conditam, ab eo denominauit, eius ſtatuas per vniuerſum orbem terrarum, arq; etiam effigies erexit, templum ei apud Mantineam conſtituit, multáq; Numiſmata aurea, argentea, & ærea in honorem eius excudit.



L. CAEIONIVS COMMODVS, qui & AELIVS VERVS dictus, Cæionii Commodi filius, nobiliſsimis maioribus, quorum origo ex Hetruria vel ex Fauentia fuit, natus: Ab Adriano eo tempore, quo de neceſſario ſucceſſore cogitabat, adoptatus, ſtatímq;

timq; Prætor factus & Pannoniis Dux ac Rector impositus, mox Consul creatus est. Et quia Imperio esset deputatus, iterum Consul designatus est. Causa adoptionis eius, populo congiarium datum, collatúmque militibus H-S. ter millies. Circenses ludi editi sunt, nihilque prætermissum, quod posset lætitiam publicam frequentare. Tantæ fuit autoritatis apud Adrianũ, vt præter adoptionis affectum, omnia, quæ desideraret, per literas facile impetraret. Hic valetudinis adeò miseræ fuit, vt Adrianum statim adoptionis pœnituerit. Marius Maximus asserit Adrianum Matheseos peritum, de Vero sæpe pronuntiasse:

Ostendent terris hunc tantùm Fata, neque vltra
Esse sinent. Illud quoque cum irrisione dixisse fertur, EGO MIHI DIVUM ADOPTAVI, NON FILIVM. Cùm igitur de Prouincia Aelius rediisset, atque orationem pulcherrimam, qua patri Adriano gratias agere parasset, sumpta potione, qua se existimabat iuuari ipsis Calend. Ianuariis periit. Sepultus est in mole Adriani, vbi adhuc legitur, L. AELIO CAES. DIVI ADRIANI AVG. F. COS. II. F. Vitæ fuit lætissimæ, bonísque literis præditus, forma egregius, decorúsque, regiæ pulchritudinis, oris venerandi, exquisitæ eloquentiæ, versu facilis, in Repub. etiam non inutilis. Vxorem habuit nomine Caluillam, ex qua L. Verum suscepit, qui à M. Antonino adoptatus fuit.

Numisma fecit, in cuius altera parte fuit pons, & moles Adriani, de quibus suprà satis dictum est.



ANTONINVS PIVS ex Tito Aurelio Fuluio, viro consulari, & Fatidilla XIIII. Calend. Octobris, sub Domitia-

no XII. & Cornelio Dolabella Coss. natus est. Sub auo paterno primùm, mox sub materno educatus est. Cōsobrinorum, & affinium hæreditate, quos omnes religiosissimè coluit, ditatus est. Quæstor fuit liberalis, Prætor splendidus. Consulatum cum Catilio Seuero egit. Ab Adriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum possidebat, vt Adrianus viri talis & honori & quieti cōsuleret, quam cum regeret, Imperii nomen accepit, & in consulatu Asiæ potissimùm. Post Proconsulatum in consiliis Adriani Romæ frequens fuit, de omnibus de quibus Adrianus consulebat, mitiorem sententiam semper ostendens. Mortuo Aelio Vero, quem Adrianus sibi adoptauerat, est adoptatus, ea conditione, vt sibi M. Antoninum sororis suę filium, & L. Verum adoptaret. Post adoptionem in Senatu gratias agens, factus est patri & in Imperio proconsulari, & in Tribunitia potestate, collega, cui quoad vixit, religiosissimè paruit. Mortuo autem apud Baias Adriano, reliquias eius Romam peruexit, eásq; sanctè atque reuerenter, in hortis Domitiæ collocauit, cunctisque repugnantibus, inter diuos eum retulit, clypeúmq; ei magnificentissimum posuit, & Sacerdotes instituit, propter quod nomen Pii meruit. Factus Imperator, nulli eorum, quos Adrianus euexerat, successorem dedit. Fuitque ea constantia, vt septenis & nouenis annis, bonos in prouinciis Præsides detineret. Per legatos suos plurima bella gessit, Britannos, Mauros, Dacos, Germanos, Iudæos rebellantes contudit, Alanos refrenauit, in Achaia etiam, atque in Aegypto rebelliones repressit, adeò vt autoritate sola rexerit Orbem, nullo penè bello, semper amauerit pacem, Illud Scipionis dicens: MALLE SE VNVM CIVEM SERVARE, QVAM MILE HOSTES OCCIDERE. Procuratores suos modestè suscipere tributa iussit, quia lucro minimè lætabatur. Excedentes modum reprehendit, condemnatis indulgentiam impetrauit. Tanta prouidentia subiectum sibi populum rexit, vt omnes prouinciæ sub eo florerent. Ciuilis Imperator penitus, multum Senatui tribuens, ac quęcunque in Senatu ageret, semper amicorum consiliis est vsus. Otiosis salaria subtraxit, dictitans: NIHIL ESSE CRVDELIVS, QVAM REM AB IIS CORRODI, QVI NIHIL IN EAM SVO LABORE CONFERRENT. In victu eius, opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus. Congiarium populo, militibus donatiuum dedit.

dedit. Opera publica multa sunt per eum restituta, videlicet, Templum Adriani, Amphiteatrum, Sepulcrum Adriani, Templũ Agrippæ, Pons Sublicius, Pharus, Caietæ & Tarraconensis Portus, Lauacrum Ostiense, Antiatium, aquæductus, Templa Lanuuiana. Multas præterea vrbes adiuuit pecunia, Reges pacauit plures. Amicis non aliter vsus est in Imperio, quam priuatus. PATRIS PATRIAE nomen delatum à Senatu, quod primò distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit. Præfectos suos locupletauit, & ornamentis Consularibus donauit. Si quos repetundarum damnauit, eorum liberis bona paterna restituit, ea tamen lege, vt illi prouincialibus redderent, quod parentes acceperant. Spectacula plurima edidit. Elephantos, Crocutas, Tygrides, Rhinocerotes, Crocodylos, & Hippopotamos exhibuit. Piscationi & venationi fuit deditissimus. Rhetoribus & Philosophis per omnes prouincias honores & salaria detulit. Seditiones vbicunq; factas, non crudelitate, sed modestia compressit. Intra Vrbes sepeliri mortuos vetuit. Omnium, quæ gessit & in Senatu, & per edicta, rationem reddidit. Periit Anno ætatis LXX. Imperii XXIII. cùm Alpinum caseum in cœna edens auidiùs, nocte reiectaret, febre correptus, tertio die animam exhalauit. Moriturus Rempub. M. Antonino commendauit. Sepultus in mole Adriani. Vir fuit ingenio clarus, moribus clemens, vultu placidus, forma conspicuus, & statura decorus, & longus. Cùm vero in senectute incuruaretur, tiliatitiis tabulis in pectore positis, fasciabatur vt rectus incederet. Eloquentiæ erat singularis, nitidæ literaturæ, sobrius, mitis, largus, alieni abstinens, omniaq; cum mensura ac sine iactantia faciens, ita vt Numæ Pompilio, bonorum sententia compararetur. In parte altera huius Numismatis est Tyberis, Deus barbatus, & comatus, nudus in terra iacens, sinistro brachio incumbens, amphora, ex qua labitur aqua, dextra herbam palustrẽ, sinistra verò cornucopiæ tenens. A latere eius Lupa Romulum & Remum infantes lactans, rictum oris aperiens conspicitur. In cuius conspectu Faustus pastor manibus clauam vibrans, eam interfecturus. A tergo Fausti, vxor eius conspectum Lupę fugiens, apparet. A tergo vero Lupæ septẽ Romani colles visuntur, cum inscriptione: ORIGINE POPVLI ROMANI. S. C.





AVRELIVS FVLVIVS Antonini Pii pater, originem suam ex Gallia Cisalpina Nemausense originem trahens, ad consulatum vrbis peruenit, homo sanè tristis, & æger.

ARRIA FATIDILLA, filia Arrii Antonini bis consulis, hominis sancti; qui olim Neruam miseratus, quòd imperare cœpisset, vxor Aurelii Fuluii, mater Antonini Pii Imperatoris.



ANNIA FAVSTINA ANNII Veri filia, vxor Antonini Pii. Ex ea duos mares totidémq; fœminas Antoninus genuit. Maiorem filiam Lamiæ Syllano, minorem M. Antonino Philosopho dedit. Hanc Faustinam Augustam à Senatu appellari permisit. Tertio autem Imperii Anno obiit, & à Senatu consecrata est, delatis Circensibus, atque templo, & flaminicis, & statuis aureis atq; argenteis.

M. AVR.




M. AVREL. ANTONINVS Philoſophus, ex patre Annio Vero, & Domitia Caluilla matre, Romæ in monte Cælio, VI. Calend. Maii, auo ſuo Annio Vero iterum & Augure & Cos. natus eſt. Patre defuncto ab auo eſt adoptatus, & educatus. Magnis Præceptoribus traditus, ab illis Philoſophiam & omne literarum ſtudium aſſecutus eſt, habitúmq; Philoſophi geſsit. Multos inſignes Philoſophos audiuit, quibus etiam honores maximos, quantum potuit, exhibuit, imagines eorum aureas faciens. Amauit venationem, pugilum certamina, curſus, aucupatus, & pilæ ſtudium. Operam pingendi ſtudio dedit ſub magiſtro Diogneto. Sed ab omnibus his ſtudium Philoſophiæ eum abduxit, ſeriúmque & grauem reddidit. Iuuenis admodum ab Adriano in Saliorum relatus eſt collegium, in quo ſacerdotio & præſul & vates & magiſter fuit, oménq; futuri Imperii accepit. Virilem togam XV. ætatis anno ſumpſit, & ſtatim ei L. Cæionii Commodi filia, ex voluntate Adriani eſt deſponſata. Nec multò pòſt, Præfectus Feriarum Latinarum fuit. Cùm verò Adrianus L. Verum adoptaſſet, eóque mortuo minùs habilis eſſet Imperio Marcus, cùm decem & octo annos tantùm ageret, Antoninum Pium ea conditione adoptauit, vt ſibi Marcum Pius, Marcus ſibi L. Commodum adoptaret. Hac adoptione magis eſt territus quàm laudatus, explicans quot mala in ſe contineret Imperium. Adoptatus igitur in aulicam domum XVIII. ætatis Anno omnibus parentibus ſuis tantam exhibuit reuerẽtiam, ac ſi priuatus vixiſſet. Poſt obitum Pii, à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem ſibi in Imperio participem deſignauit, quem L. Aurel. Verum Commodum appellauit, Cæſarem atque Auguſtum dixit. Ipſe nomen Antonini accepit, & quaſi pater L. Commodi eſſet, filiam ſuam Lucillam fratri deſpondit. Atque ex eo cœperunt pariter duo Auguſti Remp.


regere. Adepti Imperium ita ciuiliter ambo vixerunt, vt lenitatem Pii desideraret nemo. Vicena milia numûm singulis, ob participatum Imperium, militibus promiserunt. Adriani corpus magnifico exequiarum officio, sepulcro intulerunt. Tum mirabili cura & prouidentia temperauerunt ambo grauissima incommoda Vrbis, quæ Tyberis inundatio fecit, qua multa Vrbis ędificia corruere, & plurima animalia periere, faméſque grauissima subsecuta est. Bella etiam maxima confecerunt. Tum enim imminebat bellum Parthicum & Britannicum. Et iam Catti in Germaniam & Rhetiam irruperant, cōtra quos Aufidius Victorinus missus est, cùm aduersus Britanuos Calphurnius Agricola proficisceretur, & contra Parthos L. Verus (consentiente Senatu) adlectus est. Res vrbanę Marci Imperatoris præsentiam postulabant. Verus in Syriam veniens, in delitiis apud Antiochiam & Daphnem vrbes vixit, armísque se gladiatoriis & venationibus exercuit: per legatos bellum Parthicum gerens, Imperator dictus est, cùm Marcus omnibus horis Reipub. incumberet, patientérq; delitias fratris, & penè inuitus ac nolens ferret. In Armenia res prosperè gestæ, Armeniacum nomen vtriq; principum attulerunt: Sicut mox bello Parthico profligato, vterq; Parthicus appellatus est. Quæ nomina Marcus per verecundiam primò repudiauit. Romæ interim summa diligentia Rempub. Marcus moderabatur, nouasque leges, cum maximo Senatus consensu sanxit, vsus Sceuola, præcipuo Iuris peritorum. Posteà quàm autem à Syria victor frater rediit, ambobus nomen PATRIS PATRIAE decretum est, ciuicáq; corona donati sunt. Vnà triumphum egeruut. Cùm autem Marcomannicum bellum suboriretur, finito iam Parthico, ambo per Senatum sunt decreti Imperatores: licet Marcus solus summa cum felicitate & virtute transegerit. Lucius verò cum fratre in vehiculo sedens, dum iter facerent, apoplexia arreptus, periit, quē Marcus Diuum appellauit. Solus deinde Rempub. tenens, prouincias summa veneratione, ac modestia gubernauit, Cum filio suo Commodo, quem iam Cæsarem fecerat, triumphauit. Cùm igitur in amore omnium imperasset, & à multis modò frater, modò pater, modò filius, vt cuiusq; ætas sinebat, diceretur, XVIII. Imperii sui anno, & LXI. vitæ, diem vltimum clausit audito. nuntio mortis, vix dici potest, quantum Vrbs publico luxu confusa, mœrorem induerit, Senatus atra veste ornatus, collacrymarit: & quod de Romulo creditum est, omnes pari animo & consensu affirm-

affirmarunt, Marcum cœlo receptum esse. Ob cuius honorem templa, columnæ, multáque alia decreta sunt. Cuius & statua apud Basilicam Lateranensem, vbi natus & educatus creditur, pacificatoris Equestris hodie cernitur.

In huius Numismate, Imperator in curru variis imaginibus exsculpto, quíque quatuor trahitur equis, cum fratre sedens, dextra ramum Lauri tenens, videtur. Currum præcedunt milites, fercula, in quibus imagines deuictorum pendent, gestantes: quos captiui alii sequuntur, cum subscriptione: TRIB. POT. XXII. IMPER. IIII.



Numisma Imperatorum M. ANTONINI, ET L. COMMODI cùm simul Imperium tenerent, extat. In cuius altera parte, statua Victoriæ alatæ incedentis, vtraq; manu globum tenentis, cernitur, cum inscriptione: VICTORIAE AVGVSTORVM.





ANNIVS VERVS, ex Annio Vero iterum Cos. & Præfecto, qui in Patritios Vrbi ascitus est à Vespasiano & Tito Censoribus, natus: pater M. Antonini Philosophi Imperatoris in Prætura discessit.

DOMITIA LVCILLA CALVILLA, Caluiſii Tulli bis Cos.filia, Annii Veri coniux, mater M. Antonini Imperatoris.





FAVSTINA Antonini Pii,& Fauſtinæ filia, M. Antonini conſobrina,& coniux,gladiatoris amore ſuccenſa,epoto ſanguine illius, cum Antonino marito concubuit, ex quo Antoninum, qui quadrimus periit, & Commodum poſteà Imperatorem procreauit. Filias quoq; duas Fadillam,quę in radicibus mõtis Tauri obiit,& Lucillam, quæ L. Vero,& deinceps Pompeiano bis Cos.deſponſata fuit.

L. VERVS CAESAR, qui& VERISSIMVS, filius M. Antonini,quem in ſeceſſu Prænestino pater Antoninus agẽs,exe&ta ſub aure tubere,ſeptennem amiſit,eúmq; non plus quinq; diebus luxit:ſtatuámque & imaginem auream Circenſibus per pompam portari iuſsit,noménq; eius Saliari carmine celebratum eſt.



L. VERVS CAEIONIVS COMMODVS Verus Antoninus, qui ex Adriani voluntate Aelius dictus eſt, ex Antonini cõiunctione Verus Antoninus eſt appellatus, patre L. Aelio Vero,qui ab Adriano

Adriano adoptatus fuit,& matre Domitia Caluilla,in Prętura patris sui XVIII. Calend. Ianuarias natus est,educatus in domo Tyberiana.In pueritia præceptores habuit Grammaticos,Rhetores, Philosophos, Græcos & Latinos, à quibus optimè est institutus,& versu & oratione soluta, licet ad literas non ingeniosus esset. Post septimum annũ in familiam Aureliam traductus,vnde hęc nomina omnia sortitus est. L. CAEIONIVS, AELIVS, COMMODVS VERVS, ANTONINVS. fuit voluptarius, & nimis lætus, ludis, iocis, delitiis decenter aptißimus. Amauit venatus, palestras, & omnia exercitia iuuentutis,ludos insuper Circenses & gladiatorios:fuitq; priuatus in domo Imperatoria XXIII. annos. Quæstor factus, cùm populo munus daret,statim consul cum Sextilio Laterano electus est. Interiectis annis, cum fratre Marco iterum Cos. creatus est. Defuncto Pio,Marcus in eum omnia contulit, sibíq; in Imperio consortem fecit, cùm tamen illi soli Imperium Senatus detulit. Indulta Tribunitia potestate,atque delato proconsulatus honore, VERVM vocari præcepit,suum nomen in eum transferens.Dehinc in Syriam profectus,adulteriis & omni luxuriæ genere fuit infamatus. Quæq; in Syria conceperat vitia,Romam etiam deduxit.Popinæ,aleæ, nocturnis incursionibus ita deditus,vt Neronis, Caii, & Vitellii esset æmulus. Aurigas, gladiatorésque amans, & in noctem cœnas trahens, porcum ageret,non Imperatorem. Quæ omnia,quasi nesciens Marcus, dißimulabat,ne pudore illo fratrem carperet. Imò, vt parsimoniam peregrinando addisceret,& timore bellico emendatior rediret, séq; Imperatorem esse recordaretur, à Marco in Parthicum bellum missus est, ne in Vrbe ante oculos omnium peccaret. Sed nihil profecit penitus. Quandoquidem ex bello reuersus, cœnam in noctem vsque instituit,post quam tesseris lusum est vsque ad lucem. In Apulia venabatur, Athenis inter symphonias & cantica nauigabat, in aliis Asiæ,Pamphiliæ Ciliciæque ciuitatibus,sese voluptatibus omnibus dediderat,cùm in Syria legiones suæ cæderentur. Quoniam bellum Parthicum eius duces confecerant, qui Babylonem, Mediam, Armeniámq; vendicabant.Vnde nomen Armenici, Parthici, Medici acquisiuit:quod & Marco Romæ agenti delatum est. Ad amicæ vulgaris arbitrium,in Syria barbam posuit.E qua Romam reuersus,minore reuerentia circa fratrem fuit,libertis deditus & luxui. Plurimos præterea ex Syria secum adducens Histriones,Fidicinas, Tibicines,

Scurras,Præstigiatores,& id genus innumera mancipia,cum quibus in villa sua absque omni reuerentia insaniuit. Quòd peperisse clandestinas inter ipsum,& Marcum simultates, rumor erat. Vnde quibusdam suspicio fuit Lucium veneno interiisse:cùm apoplexia correptus,in vehiculo sedens cum fratre, apud Altinum inter Veronam & Concordiam iter faciens, periit, cùm triduo mutus vixisset post sanguinis detractionem,cùm ex bello Germanico vterque redirent. Vixit autem annis XLII. Imperauit cum fratre annis XI. In sepulcro Adriani sepultus est, vbi Cæsar pater eius naturalis conditus erat cum huiusmodi inscriptione: IMP. CAES. L. AVRELIO VERO AVG. ARMENIC. MEDIC. PARTHIC. PON. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. V. COS. III. PP.

Huius Numisma tale est: Imperator loricatus & paludatus, dextra labarum,sinistra sceptrum tenens, conspicitur: ei à dextra adsistit victoria alata, manu dextra coronam Imperatori impositura, sinistra ramum palmæ gerens.A sinistro Imperatoris latere,alia est victoria,trophæum de prouinciis deuictis illi offerens. Ad pedes Imperatoris duo supplices,alter Germanus,alter Parthicus adparent, cum nulla inscriptione.



LVCILLA M. Antonini, & Faustinæ maxima natu filia,soror Commodi. Hanc pater L. Vero primùm despondit, quo defuncto, Claudio Pompeiano in matrimonium tradidit.

AVID



AVIDIVS CASSIVS, in Oriente M. Antonino cum Marcomannis triennio bellum gerente, rebellauit, ſeque Imperatorem appellauit, ſuggerente Fauſtina, mariti valetudinem ſuſpectam habente, velut alii tradunt, ementita morte Antonini. Sed hic ſtatim à Senatu hoſtis eſt iudicatus, bona eius proſcripta, & in ærarium publicum ſunt relata: quoniam in priuatum ærarium Antoninus congeri noluit, ſtatímq; interfectus eſt. Caput eius allatum Antonino, quod tamen humari iuſsit, è nihilo lætatus, dicens, ſe voluiſſe ſine Senatorio ſanguine Imperium tranſigere.

Numiſma fecit: in cuius altero latere ara, in qua ignis conſpicitur. Imperator & alius quidam, ambo togati, aræ adſtantes, dextras iungunt, à quorum tergo milites ſigna militaria ferentes, cernuntur, cum inſcriptione: FIDES MILITVM.



L. AELIVS AVRELIVS COMMODVS ANTONINVS, ex M. Antonino Philoſopho, & Fauſtina, pridie Cal. Septembris, patre patruóque Coſs. natus eſt. Poſtquàm illius ætas doctrinæ capax fuit, à patre optimis præceptoribus erudiendus traditus eſt. Sed tantorum virorum conatus ni-

hil profecerunt.Nam à prima ſtatim pueritia turpis,crudelis, impius, improbus, libidinoſus fuit, aurigam, ſcurram, gladiatorem magis, quàm Imperatorem agens: duodecimum agens annum, ſtatim crudelitatis indicium dedit. Nam balneatorem, à quo paulò antè lotus fuerat,in fornacem conijci iuſsit.Quartodecimo ætatis anno, militibus commendatus,& Cæſar appellatus, atque cum patre in Syriam & Aegyptum profectus eſt. Inde Romam rediens,ſimul triumphauit.Deinde cum patre conſul factus,Imperator conſalutatus eſt. Dehinc ad Germanicum bellum expeditionem faciens, honeſtiores vitæ ſuæ cuſtodes ſubmouit,peſsimóſque ſibi aſciuit amicos patris, & ſeniores officio priuauit. Hoc bellum ignominioſè confecit, licet triumpharet.Romam reuerſus popinas & ganeas inſtituit, vſque ad lucem ſæpius potauit,veſpera per tabernas ac lupanaria ſeſe volutauit. Omnes cohabitantes ignominia affecit,atq; ab omnibus infamatus,irridentes ſe,feris obiecit.Senatum ipſum velut abiectum mancipium contempſit,honores,præfecturas, dignitates per ſeruos ac libidinum magiſtros adminiſtrauit:homines ad prouincias regendas criminoſos,vel à peſsimis commendatos miſit.Hinc in Senatus odium venit, & crudeliter in Senatorium ordinem deſæuit, quorum plurimos neci tradidit,eò quòd in ſe conſpiraſſe præſentiret:matrem quoque Fauſtinam in exilium miſit, multóſque nobiles interfecit. Inter trecentas concubinas, quas ex matronarum meretricúmque delectu, ad formæ ſpeciem collegerat, in palatio per conuiuia & latebras debacchabatur, cum trecentiſq; exoletis Lucillam ſororem occidit, cęteras conſtuprauit. Totam Imperii adminiſtrationem Peremni ſibi à conſiliis,commiſit,qui pro ſuo arbitrio cuncta gerebat. Tantæ fuit impudentiæ, vt muliebri veſte in theatro publicè ſedens, ſæpiſsimè biberit,& inter gladiatores pugnauerit,multa ferarum milia ſua manu confecerit: virium ad conficiendas feras tantarum,vt elephantum conto transfigeret (licet aliâs debilis eſſet) ac propterea Hercules Romanus,appellatus eſt.Prouincias, adminiſtrationes, & ſuppliciorum diuerſitates,imminutiones malorum,& ſepulturas vendidit, ſeculum ſuum aureum & Commodianum vocans: licet per ſuam negligentiam annona deficeret,& ingens penuria fieret. Bella per legatos tantùm geſsit. Mauri,Daci victi: Pannoniæ quoque compoſitæ. Prouinciales tamen in Britannia, Germania & Dacia Imperium eius recuſarunt. Quæ omnia per duces ſedata ſunt. Cæterùm cùm

vrbem,

vrbem, tanquàm suam coloniam incendi iussisset (quod tamen Lætus Præfectus prætorii prohibuit) & populum in tanto Amphitheatro interimi à classiariis militibus præcepisset, cubicularios etiam suos ex nutu facilè, sine omni causa occideret, factæ sunt in eum conspirationes, per Q. Aelium Lætum Præfectum, & concubinam Martiam, quam inter omnes dilectissimam habuit. Qui ei propinantes venenum inefficax per Ath'etam, quem Herodianus Narcissum appellat, cum strangularunt, Anno vitæ XXXII. Imperii XIII. Senatus decreuerat, vt cadauer eius vnco tractum in Tyberim proiiceretur, & populus postulauerat. At iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est, cum huiusmodi inscriptione: IMP. CAES. DIVI M. ANTONINI PII GERMANICI SARMATICI F. DIVI PII NEPOTI DIVI ADRIANI PRONEPOTI DIVI ADNEPOTI. L. AELIO AVRELIO COMMODO AVG. SARMATICO GERMANICO MAXIMO BRITANNICO PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. VIII. COS. VI. PP. Sic tandē post multiplices insidias, omnibus incommodus Commodus expirauit, cui aliôqui præter ætatis florem, congruens corporis modus suffragabatur, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis atq; micantes, flaua & crispa cæsaries, vt in Sole ambulanti, velut igne quodam rutilaret.

Posterior huius Numismatis pars: Statua Romæ muliebris, galeata, cristata, & ocreata, pectore seminudo, Trophæis insidens, sinistra cornucopiæ tenens, dextra globum Imperatori togato ante se stanti porrigit, adhortans quasi, vt Imperium totius orbis susceptum sedulò administret. A dextra huius statuæ alia, est Pacis caduceum Imperatori offerens, admonenti similis, vt Pacem diligenter tueatur. Imperator iureiurando quasi confirmare videtur, se & quæ ad Imperium administrandum, ad Pacem tuendam requiruntur, nihil quicquam intermissurum. A tergo Imperatoris, Victoria alata, Imperatori coronam lauream imponens, adparet.



Post interfectum Commodum, tale Numisma excusum est: Commodus palliatus, & Crispina adparent, quos Pietas velata coniungit, cum inscriptione: VOTA PVBLICA.



CRISPINA Commodi Imperatoris vxor, cuius dolo Lucilla socia coniurationis in fratrem, periit.





P. AELIVS PERTINAX, ex patre Heluio Successo libertino, Vero & Bibulo Coss. in Apennino, in villa Martis, natus est. Pertinax dictus ex continua lignariæ negotiatione: quòd eam pertinaciter exerceret. Puer primis literis elementariis, & ab calc

ab calculo imbutus: deinde in Græcis & Latinis optimè institutus, Sulpitio grāmatico Græco succeſsit, & grammaticen publicè est professus. Posteà Præfectus cohortis, in Syriam est profectus. Bello Parthico industria sua promeritus, in Britanniam translatus ac retentus est. Post in Mœsia alam rexit, classémq; Germanicam. Tum à Marco in Senatum allectus, atq; per Pompeianum M. generum Prætor factus est, in quo munere est approbatus: & primæ legioni impositus, statímq; Rhetias, & Noricum ab hostibus vindicauit. Ex quo imminente industria & studio Marci Imperatoris, consul est designatus, consulatúmq; abſens geſsit. Ac postquàm Caſsius occiſus est, vtriusq; Mœsiæ ac Daciæ regimen tenuit. Dehinc Curiam Romanam post quatuor prouincias consulares ingressus est, cùm eam Senator anteà non vidiſſet. Sed cùm ei iam diuiti ob Perhennium, qui apud Commodum autoritate pollebat, vrbem ingredi non liceret, in Liguria in taberna patria per triennium manſit. Perhennio interfecto à Commodo in Britanniam miſſus, militum ſeditionem compeſcuit, non ſine vitæ periculo. Nam in ſeditione legionis penè occiſus eſt, quam tamen acerrimè vindicauit. Pòst Proconſul Africæ factus, multas iterum ſeditiones pertulit. Tandem vrbi Præfectus, benigniſsimus atq; humaniſsimus poſt cæteros habitus eſt, Commodóque quàm gratiſsimus fuit. Commodo occiſo, Lætus Pręfectus prætorio, & Electus cubicularius, nocte intempeſta mortem annuntiarunt Pertinaci, eúmq; in caſtra ductum, Imperatorem deſignarunt, & ita ſexagenario maior Imperator eſt appellatus. Dehinc in Curiam veniens, eleganti oratione Senatui gratias egit. Eadem die Auguſtus eſt dictus, & vxor eius Titiana Auguſta eſt appellata. Paulò pòſt Patris patriæ nomen accepit, ſimul etiam Imperium proconſulare, necnon ius quartę relationis. Nomen Imperii, tanquàm rem inuidioſam, propter ingraueſcentem ætatem, recuſauit: precibus tamen deuictus, aulam Imperatoriam conſcendit, móxque ad conuiuium Magiſtratus, & proceres Senatus inuitauit. Sequenti die petenti ſignum Tribuno dedit, atq; tranſacti temporis iacturam & ſocordiam redarguit. Eam redargutionem milites ægrè ferentes, de nouo Imperatore creando cogitarunt, & Triarium Maternum Laſciuium Senatorem, nobilem, in caſtra ducere conantur, ſed nudus aufugit, & ad Pertinacem in Palatium peruenit, ſubitóq; ex vrbe receſsit. Hac re Pertinax perculſus, omnia quæ Commodus militibus, & veteranis dederat, confirmauit,

eos qui deportati fuerant crimine maiestatis,reuocauit, restituta memoria eorum, qui occisi sub Commodo fuerant. Census posteà retractari iussit,delatores vinctos grauiter puniri curauit,mitius tamen quàm priores Imperatores.Leges de testamentis tam vtiles, quam honestas tulit.Quicquid inculti soli vacabat, occupantibus adiudicauit, decémque annorum immunitatem,& perpetuam libertatem agricolis concessit.Imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi prohibuit. Donatiua & congiaria,quæ Commodus promiserat, exoluit. Aes alienum ab initio Imperii contractum, facta auctione supellectilis Commodi Imperatoris, dissoluit. Operibus publicis certum sumptum constituit,stipendia debita soluit,præmia militibus posuit, annonæ consultissimè prouidit,Senatui semper præfuit, atq; omnibus se semper beneuolum & ciuilem exhibuit. Auaritiæ tamen suspicione non caruit.Nam & sordidè in prouinciis se gessit, & cùm patrimonium esset perexiguum, subitò factus est diues. Quinimò apud vada Sabatia mercaturas Imperator exercuit,non aliter, quàm priuatus. Ob hoc militibus omnibúsque aulicis inuisus, à Læto præfecto, qui eum Imperatorem fecerat,in Palatio est confossus, cum duobus cubiculariis, cùm vixisset annis LX. mensibus VII. diebus XXVI. Milites, qui eum interfecerant, caput conto fixum per Vrbem in castra pertulerunt.Cuius mortem populus indignissimè tulit, & idcirco per Senatum & populum inter Diuos est relatus. Sic periit venerabilis senex, cui fuit Imperatoria statura, cum habitudine corporis pinguiore,eloquentia mediocris,magis blandus,quàm benignus,nec vnquam creditus simplex.

AELIVS PERTINAX, filius Aelii Pertinacis Imperatoris. Hunc Cæsarē Senatus appellauit,sed eam appellationem,antè,quàm mereretur, filiū recipere pater non est passus. Post patris obitum flamen est factus Martiani sodalis,qui Diui Marci sacra curabant, Heluiani posteà, propter Heluiū Pertinacē dicti. Herodianus memorat hunc adolescentem nunquàm in aulam palatinam deductum à patre, sed intra priuatos parietes continuisse, & in ludum literarium, atque gymnasia de more itasse, vt nihil priuatis absimilis, erudiretur, & omnia perinde, vt quis è medio agitaret, neque vllam tyrannicam aut omnino Imperatoriam pompam ostentaret. Ab Antonio Caracalla deinde ob hoc solùm,quòd filius esset Imperatoris,interfectus est.

In hu

In huius Imperatoris Numiſmate ſtat Imperator in ſuggeſtu,loricatus & ornatus laurea ; à cuius tergo adparent duo Tribuni militum. Ante eum milites armati ferentes ſigna militaria ſtant,ad quos concionem habet Imperator,cum inſcriptione: P. M. TR. POT. IIII. IMP. III. COS. II. PP. Inferius S. C.



Aliud quoque Numiſma fecit,in quo Imperator cum filio, ambo togati, ſedent in ſuggeſtu, in ſellis curulibus. In quorum conſpectu alius quidam adparet tenens manu patinam , militique per gradus aſcendenti donatiuum præbens, cum inſcriptione: DONATIVVM AVG.





AELIVS SVCCESSVS Libertinus, Aelii Pertinacis Imperatoris pater.

FLAVIA TICIANA, Flauii Sulpitiani filia,quem Præfectum vrbi loco ſui fecerat Pertinax,Vxor Pertinacis Imperatoris. Circa cuius pudicitiam minus curioſus fuit , cùm palam Cytharœdum illa diligeret,& ipſe vſque ad infamiam Cornificiam amaret. Ex ea filios & filias ſuſtulit.



DIDIVS IVLIANVS MEDIOLANENSIS, filius Petronii Didii Seueri,& Claræ Aemiliæ,pronepos Saluii Iuliani bis Consulis,Præfecti vrbi,necnon Iureconsulti nobilis. Apud Lucillam matrem Marci Imperatoris educatus, bonis in literis institutus, maximè legibus deditus, Magicæ operam dedit. Quæstor ante legitimam ætatem,suffragio matris Marci,est designatus. Deinde Aedilis,Prætor, Præfectus legionis, Consul & Proconsul Africæ,Consul cum Pertinace. Audita morte Pertinacis,sedatóq; tumultu, militibus in castris venale Imperium diuulgantibus, se tradituros ei, qui plus auri argentíque afferret, tutóq; eum in aulam deducturos, promittentibus, Iulianus, qui ingentem auri vim possidebat,ab vxore & filia,necnon à parasitorum turba persuasus, in muro de pretio & numeranda pecunia, cum militibus conuenit, ingentia pollicens,etiam multò plus auri,quàm aut petere auderent, aut accepturos sperarent, ídque sine mora se facturum spopondit, atque ita est admissus,statímque princeps est appellatus,similiter ei Commodi nomen impositum. Habita deinde concione militari,vespera in Senatum venit,totúmq; se Senatui obtulit. Facto Senatusconsulto Imperator est appellatus, vxor eius MALLIA Scantilla, & filia Didia Clara Augustæ appellatæ sunt.Sic Imperium mercatus, maiore militum comitatu,quàm cæteri consueuerant (nam impetum multitudinis verebatur) optimè armis munitus,in aulam deducitur. Tum primùm corrupti sunt militum mores, foedáque & insatiabilis pecuniæ cupiditas, & Cæsareæ maiestatis contemptus inoleuit, cùm nullus existeret, qui piorum Principum necem vindicaret, atque emptum nundinatúmque Imperium prohiberet.Adeptus Imperium, delitiis atque crapulę totum se dedit,neglecto Senatu,circa Rempub.minus curiosus,mollem ducens vitam, militibus sua spe frustratis:nam pol-

licitor

licitorum fidem non præſtitit,nec publico ærario pepercit. Quam ob cauſam contemptui habitus,militibus infenſus,à populo contemnebatur,maledictiſq; inſectabatur. Peſcennius ad vrbis Prçſidium vocabatur. Populus quoq; vehementiſsimè in milites inuehebatur, quòd pecuniæ ſtudio Pertinacem occidiſſent. Quæ omnia Iulianus ideo placidè pertulit,ac diſsimulauit,vt populi fauorem paulatim ſibi conciliaret.Nam Syriacum exercitum mirum in modum pertimuit, Nigrúmq; miſſo primipilari,occîdi iuſsit,Britannicum, & Illyricum minimè extimeſcebat.Peſcennius itaq; niger in Syria, Septennius Seuerus in Illyrico cum exercitibus ſuis à Iuliano deſciuere. Hic in Pannonia, ille in Oriente declaratus eſt Impetator, quod Iulianus minimè ſperabat. Iulianus ira concitus curauit, vt Senatus Seuerum hoſtem iudicaret,atque vt de ſucceſſore prouideret. Miſsi ſunt à Senatu legati conſulares,qui militibus ſuaderent, vt Seuerum repudiarent,neque illum Imperatorem,quem Senatus elegerat, ſuſciperent. Sed omnia in irritum facta,Iulianum ad deſperationem impulerunt. Qui pòſt meliore conſilio vſus,à Senatu petit Senatuſconſultum de participatione Imperii,quod ſtatim factum eſt. Cùm itaque plures Iulianus ad Seuerum mitteret,cum literis, ſpe quidem pacis, re vera autem,vt Seuerum occiderent,re intellecta, Seuerus hos interemit, atque ad plures Romam ſcribit, Se malle Iuliani hoſtem eſſe, quàm Imperii participem.Sed cùm nihil vndique efficere poterat,ad Magicam ſe conuertit,exiſtimans ſe per Magos poſſe populi odium delinire,atque militum animos compeſcere,ſed fruſtrà. Tum autoritate Senatus abrogatum eſt ei Imperium:atque Seuerus Imperator eſt appellatus,miſsíque à Senatu,qui eum occiderent, à quodam gregario milite inter fœdiſsimas comploratione,ab omnibus deſtitutus amicis,obtruncatus atque trucidatus eſt. Corpus eius vxori à Seuero traditum eſt ad ſepeliendum, & fuit in proaui monumento ſepultum. Vixit autem annis LVI. menſibus IIII. Imperauit menſibus II. diebus V. Vir ſenex, guloſus,aleator, ſuperbus, & armis gladiatoriis exercitus.

Huius Numiſma tale eſt,Templum Ionicis columnis extructum, quibus Tympanum incumbit:in quo imago eſt ſtans,vtrinque aliæ procumbentes.In medio templi Iupiter ſeminudus,aquilæ inſiſtens, ſiniſtra fulmen tenens, dextram Imperatori porrigens, adparet. In

m 3 foribus

foribus templi est ara, in cuius basi duo sunt augurales pulli, farinam colligentes, super illos est imago viri, cum aliis ornamentis compositis ex frondium ligaturis. Ad dextrum aræ latus Imperator loricatus & galeatus consistit, dextra schedam tenẽs, à cuius tergo duo videntur milites galeati. Læuo aræ lateri sacerdos palliatus sinistra schedam tenens, dextra pateram, in ara sacrificaturus, assistit: à cuius tergo duo milites loricati nudatis capitibus conspiciuntur, sine inscriptione.





MALLIA SCANTILLA vxor Didii Iuliani Imperatoris. Ab hac persuasus Iulianus, Imperium suscepit, ac posteà à Senatu Augusta est appellata.

DIDIA CLARA Iuliani ex Mallia Scantilla filia, Cornelio repentino in coniugium tradita, Augustáque nominata. Post patris interitum, nomen est abrogatum, sed concessum patrimonium.



PESCENNIVS NIGER ex patre Annio Fusco, matre Lampridia natus, mediocriter eruditus, moribus ferox, diuitiis

uitiis immodicus, vita parcus, effrenatæ libidinis, ad omne vitium procliuis, ordines diu duxit, multisque Ducatibus præfuit: exercitus Syriacos iussu Commodi, rexit. Cùm mortem Commodi intellexerat, ac Iulianum cum militibus pactum de Imperio, Imperatorē etiam creatū, & deinde iussu Senatus occisum, ab exercitu Syriaco, cui tunc præerat, Imperator appellatus est. Eodem quoq; tempore Septimius Seuerus in Illyrico a suis militibus Imperator creatus est, Romámq; ingressus, à Senatu Imperator salutatus est. Nuntio verò accepto, quòd Niger Imperium inuaserat, Heraclium ad obtinendam Prouinciam Syriacam, Fuluium ad occupandos adultos filios Nigri misit, ipse ad Orientis statum pacandum, vt cunctantem Nigrum, & Antiochenis delitiis vacantem, imparatum opprimeret. Niger hæc audiens perturbato vehementer animo, omnes aditus portúsq; custodire præcepit, auxiliaque ad Parthorum, Armeniorum, atq; Atrenorum reges rogatum mittit, omnes copias, quas habuit conflauit, circáque Bizantium oram omnem occupauit, vt per eas angustias omne iter Seuero interciperet. Sed cùm Aemiliano Duci summam totius belli credidisset Niger, totus ille exercitus ad Cyzicum fusus fugatúsque est. Plerique milites ad Senatum defecerunt. Sed cùm in Syria Niger nouum exercitum instaurasset, & iterum cum Seuero congrederetur, apud sinum Issicum, vbi quondam debellatus est Darius ab Alexandro Magno, insignis edita est strages. Niger fuga dilapsus, Antiochiam peruenit: in suburbano quodam latitās, ab equitibus est repertus, caput eius est amputatum, pilóq; infixum circumlatum est. Filii eius cum matre in exilium acti, & paulò pòst occisi, omnésq; statim illius amici supplicio affecti sunt. Sic periit Pescennius Niger, homo alioqui (vt perhibent) publicè priuatímq; minimè improbus, statura prolixa, forma decorus, oris verecundi ac semper rubidi, ceruice adeo nigra, vt ab ea Nigri nomen acceperit. Cætera corporis parte candidus, & magis pinguis, capillo ad gratiam in verticem reflexo, adeò vocalis, vt ad mille passus vox eius audiretur. Miles optimus, Tribunus singularis, Dux præcipuus, Legatus seuerissimus, Consul insignis, domi forísque conspicuus, Imperator infelix.

In parte altera Numismatis huius, est statua muliebris stolata, corona in similitudinem radiorum solarium ornata, expansis mani-

bus,signa militaria gerens,cum inscriptione: FIDES MILIT. infrà subscriptum: ORIENS AVG.



CLODIVS ALBINVS, ex patre Cæionio Posthumio, matre Aurelia Messalina genitus,nobilis apud suos,originem à Romanis familiis Posthumiorum, Albinorum,& Cæioniorum originem traxit. Hic cùm est editus contra consuetudinem,cùm,qui nascuntur rubere soleant,fuit candidissimus, vnde & nomen accepit Albini.Primam ætatem in Africa egit, ibiq; literis tum Græcis, tum Latinis,eruditus.Adolescens statim se ad militiam contulit,atque Antoninis innotuit,quorum fauore Tribunatum in Dalmatia obtinuit, ibi primæ & quartæ legioni præfuit.Bytinicos exercitus contra Auidium summa cum laude & gloria duxit. Deinde per Commodum in Gallias missus,Frisios & Transrhenanos debellauit atque prostrauit.vnde apud Romanos & Barbaros præclarum nomen sibi fecit. Quibus rebus Commodus accensus, Cæsarianum nomen illi obtulit, quod Albinus cum gratiarum actionę modestissimè recusauit. Deinde Quæsturam gessit, sub Commodo Præturam famosissimam egit. A Seuero posteà consul declaratus. Cúmque Seuerus aduersus Pescennium exercitum duceret,metuens ne Albinus,qui tum exercitibus Britannicis præerat,cum exercitu Romam veniret, consors Imperii à Seuero factus est. Victo Pescennio,à Seuero (qui non ex re arbitrabatur esse cum tam latè imperare) primùm insidiis est petitus:quibus detectis,manifestè contra eum exercitum contraxit, multísque prœliis vario Marte acerrimè pugnatum, tandem vltimo prœlio commisso,fusæ sunt Albini copiæ. Albinus ipse sauciatus, à militibus captus, semiuiuus ad Seuerum ductus est, cuius abscissum caput,pilo priùs circumlatum,Romámque missum,publicè patibulo affixum est. Corpus eius (vt quidam scribunt) ante prætorium ad

foetor

fœtorem vſque iacuit, laceratúmque à canibus, & in profluentem coniectum. Hunc finem habuit Albinus, breui ſanè lætatus honore, ac funeſto. Fuit Albinus ſtatura procera, capillo renodi, & criſpo, fronte lata, admirabili candore, voce muliebri ad ſonum Eunuchorum, motu facili, iracundia graui, furore triſtiſsimo, in luxuria varius, voracitatis maximæ.

Alterum latus huius Numiſmatis continet Imperatorem veſte militari indutum, dextra telum tenentem, equo inſidentem. Quem ſequuntur legionares quatuor cum inſcriptione: PROFECTIO GALLIAE.





L. SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX, ex patre M. Geta, equite Romano, & Fuluia Pia, in Lepti ciuitate Africæ, Eratio Claro, bis, & Seuero Coſs. natus eſt. Literis tum Græcis, tum Latinis apprimè doctus, Romam miſſus ſtudiorum cauſa: decimooctauo ætatis anno publicè declamauit. Latum clauum à Diuo Marco petens accepit, fauente ſibi Septimio Seuero, affine ſuo. Quæſturam deinde diligenter exercuit, & poſt Quæſturam ſorte Beticam accepit, atque inde Africam petiit, vt rem domeſticam poſt patris mortem cōponeret. Pòſt Quęſtor in Sardinia, & hinc Legatus & Proconſul Africæ. Sub Marco Tribunatum plebis ſatis ſeuerè egit. Dehinc quatuor legionibus ſtipatus, in Hiſpaniam mittitur. Pòſt Præpoſitus Scythicæ circa Maſsiliam. Deinde Athenas petiit ſtudiorum ſacrorum cauſa, & operum ac vetuſtatum. Tum Lugdunenſem prouinciam legatus accepit, tantúmq; à Gallis, ob ſeueritatem, & honorificentiam, & abſtinentiam dilectus eſt, quantum nemo. Proconſulari poteſtate Pannonias & Siciliam rexit. Poſt proconſulatum, anno fermè otio indulſit. Dehinc Conſul Germano


n exerc

exercitui præponitur, in quo non mediocrem laudem assecutus est. Vbi auditum est Commodum occisum esse, ac Iulianum odio multorum imperare, instigantibus multis, repugnans à militibus Imperator appellatus est. Qui sestertia (quod nullus vnquàm Principum) militibus dedit. Prouinciis verò post tergum firmatis, cum Illyricano & Gallicano exercitu, qui in eius verba iurarunt, Romam contendit, licet Iuliano autore, hostis per Senatum iudicatus esset, missísq; legatis exercitum dimittere iussus esset: quos tamen mox in suas partes traduxit. Quinimò missis ad Prætorianos literis, tantum effecit, vt Iulianus interficeretur. Quo occiso, Romam armatus petiit. Cui Senatus Rom. centum Senatores ad gratulandum rogandúmque obuiam misit, qui ei occurrerunt, armatúmque, armatis circunstantibus, salutarunt. Romam igitur ingressus est, cunctis trepidantibus, ne ciuile paterentur bellum, cùm Pescennius Niger, & Clodius Albinus ad Imperium quoque aspirarent. Quem Senatus, Populúsq; vniuersus exceperunt, faustis acclamationibus. Tum inito Iouis templo, facta re diuina, ad Imperatoriam domum est deductus. Cõmoratus in Vrbe per aliquot dies, amicos Iuliani accusatos proscriptioni & neci dedit, causas plurimas audiuit, accusatos à prouincialibus Iudices grauiter puniuit, rei frumentariæ in Vrbis subsidium operam dedit. Post hæc ad Orientis statum confirmandum iter arripuit, contráque Pescennium Antiochiæ tunc degentem exercitum duxit, quem bis prælio victum interfecit. Occiso Pescennio, aliud bellum cõtra Clodium Albinum suscepit, quod haud minore felicitate confecit. Profligatis enim copiis Albini, ipse semiuiuus captus est. Dehinc ordinatis Britanniæ Galliæque rebus, sumptóque supplicio de Albini amicis, qui illic erant Romam proficiscitur. Iouis templum ingressus, sacrificia peregit, populum ac milites multis muneribus donauit. Tum Albini amicos crudeliter puniuit, bona eorum publicauit, ærariúmque auxit. fecit etiam ludos Seculares, maiorémq; filium, Cæsarem declarauit, participato cum eo Imperio. Et cùm Parthos, Arabes, Adiabenósque deuicisset, Triumphum, quòd pedibus consistere in curru ob articularem morbum nequiret, filio cõcessit. Tum iterum in Orientem profectus, Arabiam & Armeniam peruagatus, Parthos superauit. Recognitis exercitibus, Vrbem ouans ingressus est. Sacrificia, spectacula & Ludos edidit, magnũ dedit congiarium, tum ius dixit, ciuilibus negotiis, liberísq; erudiendis intentus. Paulò pòst orta dissensione in Britannia

tannia

tannia, ad eam ſedandam cum ambobus filiis, expeditionem eduxit: licet iam decrepitus, & articulari morbo vexaretur, magna tamē animi virtute eſt eos aggreſſus. Ac ſubactis Barbaris, ſenex morbo in Britannia conſumptus eſt, Anno ætatis LXXXIX. Imperii XVIII. Cuius cineres ex Eboraco in loculo aureo aduecti Romam, in ſepulcrum Antonianorum ſunt conditi. Vir fuit decorus, promiſſa barba, cano capite & criſpo, vultu venerandus, canorus voce, bellicoſus, liberalis, literatus, ac inſignis Mathematicus, & doctrinæ nimis cupidus.

Numiſma quoddam ex ære huius Imperatoris vidi, cuius poſterius latus cognoſcere nequiui, niſi quòd multæ ordine diſpoſitæ columnæ apparebāt, adeò vetuſtate & longo vſu erat detritum. Quantum verò opinione auguror, Septizonium fuit, eò quòd eam molem Seuerus excitauit. Fuit autem Septizonium, magna moles quædam quadrata, quæ ſeptem cingulis, id eſt, columnarum Corinthiacarum ordinibus inuicem ſuperimpoſitis, in modum quatuor porticuum ambitur. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus aſſurgit, qua in altum magis magiſque contrahitur atque acuitur, pyramidis aut obeliſci more. In ſummo Regum, vel Imperatorum condebantur cineres. Aliqui appellarunt etiam Septodium, quaſi ſeptem concurrerent viæ, & nonnulli, Septiſolium, à ſeptem ſolariis. De ſeptem autem columnarum ſerie, tres adhucdum viſuntur, vna alteri ſuperimpoſita. Integra ſeries illa eſt, quæ Eurum ſpectat, in cuius prima ſecundáque parte ſuperſunt columnæ octo, in tertia ſex. In huius Zophoro inſcriptio hæc, quamuis truncata, habetur: C. TRIB. POT. VI. COS. fortunatiſsimus nobiliſsimúſque.



ALIA NVMISMATA Seueri Imperatoris, quorum altera pars imaginem eius ſupra poſitam, cum eadem inſcriptione continet.



ALIVM percuſsit numum Seuerus, in cuius poſteriore latere victoria alata, dextra coronam Lauream, ſiniſtra ramum palmæ gerens, captiuóque cuidam manibus poſt tergum reuinctis, inſiſtens, adparet, cum inſcriptione tali: VICTORIA PARTH. MAX.





M. GETA ex Lepta Africa ciuitate oriundus, L. Seueri Imperatoris pater.

FVLVIA PIA M. Getæ vxor, mater Seueri Imperatoris.





MARTIA Seueri Imperatoris vxor, quam, Tribunatu plebis à Marco donatus, duxit, atq; ex ea maiorem natu Baſsianum ſuſcepit.

Huius

Huius in historia vitæ priuatæ nullam mentionem fecit, tametsi posteà Imperator factus, statuas ei collocari iussit. Amissa hac, nullam aliam ducere voluit, nisi quæ regalem haberet genituram. Iuliam in Syria nobili genere natam, eò quòd genitura eius regem sibi polliceretur, duxit in vxorem Seuerus, ex qua Getam filium, & alium quendam, item filias genuit. Hæc erat adulteriis famosa, & coniurationis in Seuerum conscia. Mortuo Seuero, priuigno Basſiano nupsit, incestum cōmisit, deinde ob liberorum calamitates, Antiochiæ sibiipsi mortem consciuit.



MARCIA SEVERA Seueri & Iuliæ filia, quam dotatam pater Prolio collocauit. Hic Prolius, cùm ei Seuerus præfecturam Vrbis obtulisset, recusauit, dicens, MINVS SIBI VIDERI PRAEFECTVM ESSE, QVAM PRINCIPIS GENERVM.



ANTONINVS GETA, ex patre Seuero, & matre Iulia Mediolani VI. Calend. Iunias, Seuero & Vitellio Coss. natus est. statim vt natus est, nuntiatum est gallinam in aula ouum peperisse purpureū. Quòd cùm allatū Basſianus, frater eius, accepisset, &

quasi applausum paruulus ad terrã fregisset, Iulia dixisse fertur ioco: MALEDICTE PARRICIDA FRATREM TVVM OCCIDISTI. Idque ioco dictum. Adolescens fuit asperis moribus, non tamen impiis, à natura decorus, tractator, gulosus, cupidus ciborum, & vini variè conditi. Huius illud pueri fuit insigne, quòd cùm vellet partium diuersarum viros Seuerus occidere, & inter suos diceret, hostes vobis eripio: consentirétq; adeò Basſianus, vt eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos. Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiendorum numerus: cúmque dixisse pater. Ille interrogauit: Isti habent propinquos? habent parentes? Cùm responsum esset, Complures: PLVRES ERGO IN CIVITATE ERVNT TRISTES, QVAM LAETI, QVOD VICIMVS. Et obtinuisset eius senténtia, nisi Plautianus Præfectus, vel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt. Fuit in literis assequendis, & tenax veterum scriptorum, paternarum etiam sententiarum memor, fratri semper inuisus, matri amabilior, quàm frater. Vestitus nitidi cupidissimus, ita vt patri doleret. Si quid accepit à præsentibus, ad suum contulit cultum, neque quicquam cuipiam dedit. Post Parthicum bellum cùm ingenti gloria floreret, Basſiano principe Imperii appellato, Geta quoque Cæsaris & Antonini, vt quidam dicunt, nomen accepit. Mortuo patre Seuero plurimis machinis, à fratre est petitus. Sed sæpius reconciliare eos multi honestissimi Seueri amici, & consiliarii conati sunt. Imperium quoque vtrisque consentientibus diuiserunt, ita vt Europa, cum partibus meridionalibus, Antonino caderet, Asia verò, & quicquid in Orientem vergit, Getæ. Cùm autem odium fraternum in dies gliſceret, & Antoninus magis magísque fratri infensus fieret eò, quòd maior pars eum sectabatur, quòd probus, moderatus & lenis, honestiora studia tractaret, ac disciplinarum gloria viros celebres circa se frequenter haberet, & in palæstra exercitatos, placidus, humanus in optimos quosque, paratæq; insidiæ veneno, nõ procederent, tandem ad Antonino fratre, irrumpente in suum cubiculum, nihil tale expectans, supra matris pectus multo vndans sanguine, obtruncatus est, illatúsque est maiorum sepulcro, hoc est Seueri, quod est in Appia via, euntibus ad portam dextrum specie Septizonii extructum, quod sibi ille viuus ornauerat.

In Numismate eodem continetur ritus Ludorum Secularium.

Temp

Templum duobus colonis insistens,in cuius medio ara est posita,cui sacrificans sacerdos adstat. Ab vtraque aræ parte duo fratres Geta & Caracalla velati,adparent.A quorum tergo vtrinque cantantes Lyra & tuba visuntur. Ad pedes Getæ, à dextra aræ parte quædam humi procumbens statua cernitur, cum inscriptione: SECVLARIA SACRA. S. C. Quo ritu Ludi sunt celebrati Seculares,suprà,in Domitiano,satis indicauimus.



M. AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA ex patre Seuero Imperatore,ex Marcia matre Lugduni procreatus,Bassianus primò dictus. Sed quia pater edoctus successurum sibi Antoninum,cum Antonini nomine donauit,Caracallæ nomen à vestimento demisso ad talos vsque,quod populo dedit, accepit. Huius pueritia adeò blanda, ingeniosa, parentibus affabilis, amicis iucunda, populo accepta fuit, vt animi præstantiam nemo non admiraretur. Egressus pueritiam, ita mores mutauit, grauior, seuerior & truculentior factus,vt eum, quem puerum nouerant, multi esse non crederent, superbus, arrogans,tam gestis, quàm ore, de Alexandro Magno semper loquebatur. Tiberium & Syllam palàm laudabat plerunq; in conuentu,ac mox in omnem inhumanitatem & sæuitiam se conuertit. Patre iam mortuo,maximam auri copiam atque argenti inuenit, exercitu sibi parato maximo,cui resistere nulla vis posset,summam potestatem nactus est. In castris prætoriis apud milites conquestus fratrem sibi venenum parasse,atque matri rebellem esse, séque multis à fratre circunueniri insidiis,cum in Palatio occidi iusit, eiúsque corpus combusit. Publicè etiam gratias egit his, qui eum occiderant. Pars militum apud Albam, Getam occisum ægrè tulit, asserentibus

cunctis, duobus se fidem dedisse liberis Seueri, clarus portis diu ad Imperium non est admissus. Pacatis tandem ac delinitis animis largitionibus multis militum, Romam sub veste Senatoria, loricam habens rediit, atque militibus stipatus, Curiam est ingressus, & longa oratione conquestus est de fratris insidiis, ita inuolutè & inconditè, vt quæ fecisset, vix intelligi possent. Continuò omnes fratris sui domesticos, atq; amicos occîdit, nec ætati infantium pepercit, siue ex plebe, siue Senatorii ordinis essent. Sæuitum est in quoscunque sine misericordia, quacunque de causa, qui opibus excellerent, vt bona eorum raperet. Lætum quoque Pompeianum Marci nepotem ex filia natum extinxit. Dehinc Papinianus Quæstor & Iureconsultus securi percussus est. Filium quoque eius, qui ante triduum Quæstor, opulentũ munus ediderat, interemit. Commodi sororem iam anum & ab omnibus Imperatoribus in honore habitam, morte affecit: & quicquid ex cognatione Imperatoria, aut in Senatu ex patricia nobilitate supererat, quasi à stirpe abstulit. Vestales virgines viuas terra obruit. In ludis Circensibus & publicis spectaculis in populum desæuit, sæpe in Senatum, sæpe in populum superbè est inuectus. Vnde perosum se sentiens, malorum facinorum conscientia, Roma relicta, in Galliam secesit: & in primo suo aduentu proconsulem Narbonensem occîdit. Vnde à totius Galliæ rectoribus magnum sibi odium contraxit, nec minus à ciuibus, imò & tyrannicum nomen meruit. Deinde ad Orientalem profectionem se accingit: obmisso itinere, in Daciam recedit, & circa Rhetiam non paucos Barbaros interemit. Milites suos quasi Syllæ milites, & adhortatus est, & donauit. Per Thraciam iter cùm faceret, naufragium fecit, ita vt vix euaderet. In Macedonia similem se Alexandro Magno fecit, multis vndiq; locatis statuis ac imaginibus, habitu Macedonico. Pòst in Asiam venit, atque ad Achillis tumulum peruenit, vt Achillem æmularetur. Tum in Alexandriam, vt Alexandri monumentum lustraret, concessit. Affectans nomen Parthici, ad Orientem festinauit, & per Oratores Arthabani Regis Parthorum filiam in vxorem petiit. Vbi verò Rex post primas preces abnegatas, tandem promisit, eíque cùm vniuersa multitudine occurreret inermi, ac floribus redimita, excepturus nouum sponsum & generum, dum sacra faciunt, dato signo militibus, vniuersi circumuenti occiduntur, atque trucidantur, ita, vt vix Rex euaderet. Datis ad Senatum, quasi post victoriam literis,

Parthic

Parthicus est appellatus. Posteà subsistit in Mesopotamia, vt illic hybernaret. Sed apud Carras vrbem, dum Lunæ Deæ, vel Luni Dei templum inuiseret, & ad requisita naturæ discederet, insidiis à Macrino Præfecto positis, per Martialem Centurionem pugione per auersum est traiectus, dum subligacula deduceret, ventrísque oneri leuando intenderet. Martialis fugere dum vellet, à custodibus corporis interficitur. Macrinus per dissimulationem mortem eius deplorans, corpus cremari iussit, reliquias in vrna matri Iuliæ ad sepulturam misit, quas Antoninorum in sepulcro condidit. Vixit Bassianus Annis XLIII. Imperauit Annis VI. Opera Romæ reliquit, Thermas nominis sui eximias. Idem viam nouam muniuit, quæ est sub eius Thermis, qua pulchrius inter Romanas plateas, non facilè quicquam inuenias.

In huius Numismate posteriore sunt Thermæ Antoninæ. Has Antoninũ Caracallam nomine appellatas struxisse, in eius vita Spartianus sic testatur: Opera Romæ reliquit, Thermas sui nominis eximias, quarũ cellam selearem architecti negant posse vlla ratione fieri, nisi qua facta est. Nam ex ære Cupro cancelli suppositi esse dicuntur, quibus concameratio tota concredita est, & tantum est spatii, vt idipsum potuisse fieri negant docti Mechanici. Lampridius verò has inchoatas ab Antonino, Seuerum perfecisse, atq; exornasse refert. Magnum autem ambitum amplectebantur, & ductus ille aquarum, qui ante portam Capenam transit, in eas olim aquas deducebat. Videntur adhuc earum incredibiles ruinæ, parietinæ ingentes, altissimi fornices, pulcherrimæ columnæ semiobrutæ, maxima peregrinorum marmorum frusta proiecta, pauimentum tessellatum, albi nigríque coloris, varia & ampla conclauia, & in aliquot locis profunda aqua, ex ductu Appiæ fœdato & obruto, fortasse adhuc reliqua.

o In





In Numiſmatibus has duas imagines,alteram PLAVDILLAM, alteram PLAVTILLAM inuenimus, quarum tamen vnam Plautiani filiam vxorem Baſsiani, fuiſſe credimus,quam Baſsianus primò in Siciliam relegauit,deinde interemit.



IVLIA nouerca Baſsiani,cùm eſſet pulcherrima,& quaſi per negligentiã ſe maxima corporis parte nudaſſet, dixiſsétq; Antoninus, vellem,ſi liceret, reſpondiſſe fertur: SI LIBET, LICET: AN NESCIS TE IMPERATOREM ESSE, ET LEGES DARE, NON ACCIPERE? Quo audito,furor inconditus ad effectũ criminis roboratus eſt, nuptiáſq;eas celebrauit, quaſi ſciret ſe leges dare,cùm verè ſolus prohibere debuiſſet.De qua etiam ſuprà in Seuero.





OPILIVS MACRINVS, qui Baſsiano ſucceſſit,

ſit,obſcuro genere natus, atq; infimæ ſortis libertinus, cuius parentes ignorantur propter obſcuritatem, Animi atque oris impudentis, malis artibus educatus,licet à iuris ſcientia non alienus,ſub Commodo impudentiſsimè vixit, adeò vt proſtibulum diceretur, gladiator, venator, atque tabellio. Ad Præturam nephandis artibus peruenit. Ex quo officio Imperium etiam eſt aſſecutus.Nam extincto Caracalla incerti milites quid iam agerent, biduo ſine Imperatore fuerunt, quærentes,quem inter ſe principem potiſsimùm deligerēt. Primùm itaq; Audentium Præfectum eligūt: ſed ille ſenectutem cauſatus,Imperium recuſauit.Deinde Macrinum eligunt. Ferebatur autem Arthabanum Parthorum regem,vlturum iniurias, cum exercitu aduentare.Hic ergo Imperium arripuit,ſeque nunc Seuerum, nunc Antoninum,cùm in odio eſſet omnium,& militum,nuncupauit: quamuis Senatus eum perbenignè,ac libenti animo eſt amplexus,ſperans Caracalla fore mitiorem,præſtantiorémq;.Statim is ad Parthicum bellum profectus eſt. Ac poſt primum conflictum,fœdus iniit ac inducias petiit Arthabanus. Dehinc ex Meſopotamia Antiochiam eſt profectus,vbi in omnibus deliciis vixit,hiſtrionibus,ſaltatoribus,gladiatoribus,luxui,& crapulæ deditus.Filium deinde ſuum conſortem Imperii fecit, atque Antoninum (eò quòd nomen illud eo tempore omnibus amabile erat) appellauit.Cúmque concionem habuiſſet,filiúmque ſuum militibus commendaſſet,munera atque dona inſueta militibus dedit. Tunc ſigna Antoniniana in caſtris fecit, & vt à ſe interfecti Antonini ſuſpicionem militibus demeret,Baſsiani ſimulachra ex auro ordinauit,ipſúmq; inter diuos retulit. Munus quoq; inſtituit,vt honorificentiſsimè ſepeliretur. Militibus ſtipendia vberius ſolito donauit,vt pecunia Imperium, cùm innocentia ſeruare non poſſet, ſeruaret. Homo vitioſiſsimus & ſordidiſsimus, cùm alii omnes Imperatores nobiles eſſent. Cùm ad Senatum ſcriberet de nece Antonini,plurima ementitus eſt:cui Senatus mox proconſulare Imperium,& Tribunitiam poteſtatem dedit,inter patricios delegit,Pontificémque Maximum appellauit,Pii nomine decreto.Suſcepto bello aduerſus Parthos, magno apparatu eſt aggreſſus, ſtudens ſordes generis,& prioris vitæ infamiam,victoriæ magnitudine abolere: ſed Macrinus proditione militum,& defectu legionum ad Varium Heliogabalum,victus eſt,& cum paucis fugiens,in vico Bythiniæ cum filio Diadumeno occiſus eſt: ſuis partim deditis,partim oc-

cisis, partim fugatis:absciſſumque vtriuſque caput, ad Antoninum perlatum eſt,cùm anno & amplius imperaſſet. Sic periit Macrinus, homo faſtuoſus,arrogans & ſanguinarius, qui homines viuos parietibus incluſit,adulterii reos ſimul viuos incendit, Milites ſæpe variis cruciatibus affecit,& ſuppliciis ſeruilibus puniuit. In domeſticos tam ferus & crudelis,vt ſerui ſui non Macrinum, ſed Macellinum illum dicerent,quòd macelli ſpecie domus ſua cruentaretur.

IN NVMISMATIS huius parte altera, Imperator cum filio, ambo loricati,paludati,& ocreati,ſiniſtra ſceptrum gerentes, dextra geſtus, quaſi ad milites cõcionem habituri,adparent.In quorum conſpectum milites loricati,ſigna ferentes militaria videntur. Ad pedes militum iacet captiuus humi, manibus poſt tergum ligatis, cum inſcriptione: PONTIF. TR. P. III. COS. III. S. C.

DIADVMENVS ex Macrino, & Numia Celſa natus. Dictus Diadumenus,quòd cùm naſceretur, diadema Triuiæ in capite haberet. Hunc cum patre Opilio Macrino Imperatorem dixit exercitus, occiſo Baſsiano,factione Macriniana.Nihil habet vita memorabile, niſi quòd Antoninus eſt dictus,& quòd ei ſtupenda omnia ſunt facta Imperii non diuturni,vt euenit. Nam cùm primùm innotuit per legiones, occiſum eſſe Baſsianum, ingens mœror obſedit omnium pectora, quod Antoninum in Rep.non haberent, exiſtimantium, quòd cum eo Romanum Imperium eſſet periturum.Id vbi Macrino Imperatori iam nuntiatum eſt,veritus ne in aliquem Antoninorum, qui multi ex affinibus Antonini Pii erant inter Duces,exercitus inclinaret, ſtatim concionem parari iuſsit, filiúmque ſuum hunc puerum Antoninum appellauit. Haud multò pòſt apud Antiochiam Moneta Antonini Diadumeni percuſſa eſt,Macrini vſque ad iuſſum Senatus delata eſt. Miſſæ etiam ad Senatum literæ, quibus nomen Antonini indicatum eſt.Quare etiam Senatus Imperium id libenter recepiſſe dicitur, quamuis alii Antonini Caracallæ odio id factum eſſe putent.Puer fuit omnium ſpecioſiſsimus,ſtatura longiuſcula,crine flauo, nigris oculis, naſo diducto, ad omnem decorem mento compoſito,ore ad oſcula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatiore.Cum patre ſimul captus & interfectus eſt. Voluerunt quidam Diadumenum ſeruare,cùm Macrinum occiderent,ſed quidam cubicularius protulit epiſtolas Diadumeni,quibus ſignificabatur, quanta futura in illo erat crudelitas.Ideò necatus eſt.

In

In huius monetæ posteriore parte est statua Imperatoris loricata, paludata, & ocreata, sinistra telum, dextra sceptrum ferens. A cuius dextro latere, est signum militare vnum, à sinistro duo sunt posita, cum inscriptione: PRINC. IVVENTVTIS.



NVMIA CELSA Opilii Macrini Imperatoris vxor, ex qua natus est Diadumenus. Ad hanc Opilius Macrinus epistolam scripsit, qua gloriabatur, non tam se ad Imperium peruenisse, quàm quòd Antoniani nominis esset pater factus.



M. ANTONINVS BASSIANVS VARIVS HELIOGABALVS, Caracallæ filius, & Symiamiræ scorti filius, dictus Varius à Varia auia sua, vel quòd vario semine esset conceptus. Heliogabali nomen, quòd vel Iouis, vel Solis esset Sacerdos, asciuerat, Antonini, post adeptum Imperium accepit. A primis cunabulis in summo fuit enutritus luxu, & tantum Symiamiræ matri deditus, vt cum ipsa, meretricis more, omnia turpia exerceret. Astu mulieris Variæ auiæ suæ, ad Imperium peruenit. Hæc enim militibus Basiani Antonini filium esse persuasit, largitionésque profusas militibus dedit, vt legiones à Macrino abduce-

rent. Nactus Imperium Romam, legatos misit, simúlq; figuram Numinis Heliogabali, in tabula descriptam, séq; Antonini Bassiani sanguine esse genitum indicans, statim princeps in Senatu est appellatus. Ingressus Vrbem, à Senatu honorificentissimè est exceptus, Heliogabalúmq; Deum in Palatino monte consecrauit, eíq; templum fecit. Primus hic Imperatorum fuit, qui fecit mulierem, hoc est matrem suam Symiamiram, in Senatu consulum occupare subsellia, sine cuius arbitrio in Repub. etiam nihil fecit. Sed cùm ipse in omni vitiorum genere spurcissimus, ingressus esset castra cum Varia auia, vt eius præsentia atq; autoritate gratior militibus haberetur, cùm Curiam ingrederetur nefandissimus, & veluti sus in volutabro sese immergeret, statim milites facti sui pœnituit, quòd Opilium, Macrinum & Diadumenum occidissent, & eum principem fecissent, móxque in Alexandrum Heliogabali consobrinum, quem Senatus occiso Macrino Cæsarem appellauerat, animum inclinarunt. Eam etiam potissimùm ob causam, quòd honores, dignitates, magistratus ac potestates, per libidinum ministros administraret, atq; in Senatu quoslibet sine discrimine eligeret, Sacra populi Rom. profanaret, & pollutus Palladium auferret, Vestales virgines incestaret, multos, quorum corpora placuerant, de scena, & circo & arena, in aulam traduceret, apud meretrices vndequaq; collectas concionem quasi militarem haberet, dicens eas cōmilitones, disputarétq; de generibus Schematum, & voluptatum. Ac tam obscœna fuit omnis eius vita in luxu ac libidine, vt eas in literas mittere, sit profectò subuerendum. Tyberii, Caligulæ, & Neronis perniciosam vitam & libidinem non æquare tantum, sed in omni vitiorum genere superare studuit, vtpote, qui cogeret nonnullos scriptores de nefanda eius libidine disputare. Orestam etiam vrbem condidit, ibíque hostias humanas sacrificauit, & inauditam exercuit crudelitatem. Cùm iam ob impudicissimam ac crudelem vitam, omnibus esset inuisus, tum magis militum in eum exarsit odium, quòd Alexandrum, quem sibi adoptauerat, & Cæsarem fecerat, à se amouisset. Cæsaris nomen illi abrogandum, titulos suos atq; statuas luto tegendas, eúmq; trucidandum præcepisset. Cúmque nullo pacto cum Alexandro in gratiam redire vellet, à militibus in latrina, ad quam confugerat, interfectus est. Cadauer eius tractum per Circi spatia, more canini cadaueris, in Tyberim tandem præcipitatum est, pondere annexo, ne fluctuaret, néve vnquam sepeliri

posset

posset. Nomen eius iubente Senatu erasum, dictúsque est Tiberinus Tractitius & Impurus, quòd solus omnium principum tractus esset. Vixit Annis XVI. Imperauit Annis II. & VII. mensibus. Alii quatuor, alii sex Imperium eum occupasse scribunt. Atque hic finis fuit Antoninorum nomini.

In posteriore parte Numismatis huius, est templum Heliogabali numinis, quod Imperator Heliogabalus in Palatino monte, in quo priùs Orci Aedes fuit, construxit, in quo non modò Romanorum sacra, sed & Iudæorum & Christianorum etiam transferre studiosè curauit. Templum autem hoc in honorem Heliogabali, Dei peregrini, cuius sacerdos Heliogabalus fuerat, extruxit, quem Deum maximè indigenæ Phœnicum colunt, templúmque illi maximum constructum habent auro argentóque plurimo, ac lapidum eleganti magnificentia exornatum, nec solùm Indigenæ Deum illum venerantur, sed vicini quoque Satrapæ, ac Reges Barbari certatim quotannis splendida offerunt munera. Simulacrum verò nullum Græco aut Romano more manufactum, ad eius Dei similitudinem: sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad Coni figuram. niger est lapidi color, quem & iactant cælitus decidisse. Eminent in lapide quædam, formæq; nonnullæ visuntur, ac Solis imaginem illam esse affirmant, minimè humano artificio fabrefactam.





IVLIA MOESA siue VARIA ab Emœsa vrbe Phœnicia, soror Iuliæ vxoris Seueri Imperatoris, auia Heliogabali. Hæc viuente sorore, multos annos in aula Imperatoris vixit Seuero & Antonino principibus. Sed post mortem Basiani ex aulica domo, per su-

perbiam Macrini expulsa fuit. Huic erant duæ filiæ, maior natu Symiamira, minor Mammæa vocabatur.

SYMIAMIRA, quæ & Scenis, & Semea, filia Variæ, vel Mœsæ, mater Heliogabali. Hæc cum filio Senatum ingressa, consulum subsellia occupauit, totúmque ferè imperium gubernauit, mulier probrosissima, filióque digna, cum quo etiam simul necata est.



Vxorem illustrissimam fœminam, quam etiam Augustam appellauit, Heliogabalus duxit, cúmque ea tamen haud paulò pòst diuortium fecit, ademptisq; honoribus, priuatam colere vitam iussit.



ALEXANDER SEVERVS ex Vario & Iulia Mammæa Syra sorore Scenidis in vrbe Artena genitus est. Alexandri nomen accepit, quòd in templo dicato apud Artenam vrbem Alexandro Magno, natus esset, cùm casu illuc die festo Alexandri pater cum vxore, patriæ solennitatis implendæ causa, venisset. In prima pueritia fuit ingenio clarus, dexteritate conspicuus, tam ciuilibus, quàm militaribus artibus institutus, tantæq; assiduitatis, vt ne vllum transire diem sine exercitio aliquo sineret, Mammæa matre instigante, quæ

te, quæ ei optimos quosq; præceptores adhibuit, quos etiam in summo honore habuit, & amauit. Fuit facundia Græca excellens, nec versu inconditus. Ad Musicam pronus, & Mathematices peritus, Lyra, Tibia, organo, tuba cecinit. Mortuo Macrino Cæsar à Senatu dictus est. Post adoptionē iterum Cæsar declaratus est. Vbi Imperium agere cœpit, familiarem omnibus se præbuit, Dominum se appellare vetans, atque Epistolas ad se, tanquam ad priuatum scribere iussit, reseruato tantùm Imperatoris nomine, ita, vt cunctis esset amabilis, ac nunc Pius, nunc Sanctus, vtilisque Reipub. vocaretur. Delatum sibi nomen Pii à Senatu recusauit: licet crebris acclamationibus, Antoninum & Magnum appellarent, dicens hæc nomina onerosa esse. Vnde multò clarior visus est alienis nominibus non receptis, quàm si recepisset, atque ex eo constantiæ, ac plenæ grauitatis famam obtinuit. A militibus Seueri nomen, eò quòd illorum petulantiam, atque insolentiam refrænaret, inditum est. Deinde Senatum & Equestrem ordinem mira quadam animi moderatione purgauit. Infames ab Heliogabalo in officio admissos, ministerio aulico, atque munere priuauit. Purgauit & palatium, expulsis obscœnis, & impudicis. Annonam diligenter inspexit. In tractandis negotiis, solos doctos adhibuit. In re militari senes ac benemeritos, & præcipuè eos, qui historias principum nossent. Ad aurum colligendum attentus, ad seruandum cautus, ad inueniendum solicitus, citra vllius detrimentum. Leges in annos firmauit & seruauit: Præfectos, Prætores sibi ex Senatus autoritate constituit, Senatum præmonens, INVITOS, NON AMBIENTES IN REPVB. COLLOCANDOS. Ad instaurandas terræ motu afflictas ciuitates, ex vectigalibus pecuniam dedit. Peritis bonarum literarum, Medicis, Mathematicis, Mechanicis, Architectis, Rhetoribus, Grammaticis annua salaria constituit. Pauperum filios & filias publicè aluit. Nullum vitium furto magis detestatus est, reos scelerum ac Reipub. hostes eos appellans. In ambitiosos quoq; grauiter animaduertit. Opera publica multa instituit, & instaurauit. Thermas nominis sui, quæ Neronianæ fuerant, inducta aqua, quę nūc Alexandrina dicitur, fecit. Colosseum collapsum instaurauit. Alexandri habitu numos plurimos figurauit, & quidem electreos aliquot, plurimos aureos. Expeditionem aduersus regem Parthorum, qui totum sibi Orientem vendicabat, sumpsit, quem tanta disciplina, atque reuerentia egit, ut non milites, sed Senatores ire viderentur.

Milites alicui vim inferentes, atque in aliorum agros irruentes, acerrimè castigauit, ac coërcuit, Sententiam Christianam semper in ore habens: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Tum collecto exercitu beneque instructo, Persarum regem aggressus, vicit. Præda suos milites ditauit. Romam reuersus speciosum triumphum egit. Congiarium populo ter, & totidem donatiuum militibus dedit. Multa præterea feliciter per Proconsules suos, in Mauritania, Illyrico, Armeniáque gessit. Bello Germanico collecto exercitu in Gallias profectus est, ibique à militibus, quòd seuerior esset, & mater auarior, Maximino duce, trucidatus est anno ætatis suæ XXIX. eodem die quo natus est, cùm imperasset annis XIII. Mensibus III. diebus VII. Senatus populúsq; omnis, accepta morte eius, valde contristati sunt, atque in eius honorem cœnotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum statuerunt.

Moneta huius, alterum latus Colossei figuram repræsentat, à cuius sinistra parte est arcus triumphalis Titi. A dextra duæ statuæ palleatæ Imperatoris & Tribuni, admotis manibus veluti Colossei collapsi reparationem adiuuantes, adparent. In superiore Colossei parte artifices opus illud ædificantes conspiciuntur. Inscriptio eiusmodi est: PONT. MAX. TR. P. II. COS. P. P.



Aliam Monetam fecit, in qua ritus sacrificii continetur. Sacellum ex ordinatione Corinthiaca fabrefactum, sex columnas habens, cernitur. Quibus insistit Tympanum, in quo imagines vnius stantis, aliorum procumbentium sunt exsculptę. In superficie Tympani, aliæ statuæ sunt positæ. In medio templi habetur ara cum sacerdote sacrificante. Dextræ aræ parti Alexander, sinistrę mater Mammæa adsistit.


A tergo

A tergo Alexandri milites, Matronæ verò à tergo Mammææ conſpiciuntur,cum inſcriptione: FIDES PERPETVA.



VARIVS vel VARRVS Aurelii Alexandri Imperatoris pater.

IVLIA MAMMAEA, fœmina ſancta, boniſque moribus, Variæ vel Mœſæ,quę ſoror Iuliæ vxoris Seueri Imperatoris fuit,filia,ſoror Symiamiræ matris Heliogabali,vxor Varii,ex quo Alexandrum Imperatorem & Theocliam Græcis munditiis eruditam,ſuſtulit.Cuius conſilio filius & Imperator omnia faciebat.



MARTIAM Martiani cuiuſdam filiam in vxorem duxit Alexander.Verùm cùm inſidiis eſſet petitus, à ſocero Martiano, detecta factione,& ipſum interemit,& vxorem abiecit.

MEMMIAM Sulpitii Conſularis filiam & Catuli neptem ,vxorem habuit Alexander. Quæ vnà cum matre Memmæa obiecerunt Alexandro nimiam ciuilitatem,dicentes, MELIOREM SIBI POTESTATEM, ET CONTEMPTIBILIOREM IMPERIO FACERE.

CERE. Quibus respondit: SED SECVRIOREM ATQVE DIVTVRNIOREM.



MAXIMINVS THRAX, ex patre Micara, & matre Ababa barbaris natus, in prima pueritia pastor & opilio in montibus Thraciæ fuit. Corporis vastitate ac robore conspicuus, manu quasi à fortuna ductus, ad Imperium venit. Stipendia primùm sub Seuero meruit, tantæ magnitudinis ac fortitudinis, vt XVI. lixas vno sudore prostraret, ac septem valentissimos milites prosterneret, & terræ allideret, ita vt ab aliis Achilles, ab aliis Hercules, ab aliis Antæus appellaretur, ac propterea inter stipatores corporis sui, à Seuero in aulam locatus, & muneribus donatus. Sub Antonino Caracalla ordines militares duxit, Centuriatus & cæteras dignitates militares sæpe tractauit. Sub Macrino militari desiit, & in Thraciam, vbi natus erat, se recepit, ibique in vico possessiones sibi comparauit, & cum Gothis ac Alanis familiarissimè vixit penè triennio, plurimùm ab illis dilectus. Sub Heliogabalo Romam rediit. Sed cùm hominem impurissimum inuenisset, & cum tantùm honore Tribunatus dignatus esset, à militia decessit. Interfecto Heliogabalo, cùm Alexandrum principem intellexisset, iterum Romam contendit, quem miro cum gaudio, & gratulatione Alexander suscepit, legioníque Tyronum præfecit. Quos ita exercuit, vt breui perdiscerent omnem laborem militarem. Hunc cùm Alexander in suam perniciem omni exercitui præfecisset, gaudentibus cunctis Tribunis, Ducibus, & militibus, cùm in Gallia seueriùs coërcuisset milites Alexander, illo persuadente militibus, quòd negligentiùs tardiúsque rem bellicam administraret, parsimonia etiam erga milites vteretur nimia, Mammæam quoque matrem suam auaritia accusans, Alexander cum ma-

tre

tre occisus est. Tum Maximinus primus è corpore militari,& nondum Senator,ab exercitu,sine Senatus decreto Augustus est dictus, filio sibimet in participatum Imperii dato. Admiranda vsus astutia, milites non virtute, sed præmiis & lucris sibi conciliauit, ac venationibus legiones exercens. Interim tamen in omnes tam crudelis, præsertim in nobiles,vt crudelius in terris animal esse non diceretur. Alios enim in crucē sustulit, alios animalibus inclusos necauit, alios feris obiecit, alios fustibus elisit, nullo respectu dignitatis habito. Vnde Cyclops, Busyris, Chiron, Phalaris, Typhon, & Giges ab omnibus est cognominatus.Omnes generis sui conscios,ignobilitatis causa tegendæ interfecit, etiam amicos qui sæpe ei misericordiæ ac pietatis causa aliquid donauerant. Sic voluit Barbaricam humilitatem violentia & crudelitate tegere, & imperium suum sæuitia tueri. Tantùm viribus suis fidebat, vt se non vinci posse existimaret. Plures ob id in eum factæ sunt coniurationes,sed detectæ, crudelia supplicia ducibus attulerunt. Deinde in Germaniam cum omni exercitu,maximóq; apparatu transiit,ibiq; crudelitatem ferro,flammis,populatione exercuit. Germania deuicta, Sarmatis quoque bellum inferre parauit,cupiens vsque ad Oceanum Septentrionales partes in Romanam ditionem redigere. Sed cùm comperisset se cum filio a Senatu hostes iudicatos esse, & Maximum cum exercitu contra se missum,vehementiùs sæuiens,Italiam ingressus est, ac deinde Aquileiam contendit, eámque obsidione cinxit. Sed cùm exercitus eius fame laboraret,vrgeretúrque in dies magis, Ducésque aliquos trucidasset,in odium exercitus veniens,vnà cum filio suo in castris, quiescens in tentorio trucidatus est.Horum capita hastis suffixa,& Aquileiensibus ostensa, Romam missa sunt, quæ in Campo Martio insultante populo exusta sunt,cadauera missa in profluentem. Talem exitum sortitus est Maximinus crudelis,iam sexagenario maior, & cùm triennio Imperasset cum filio suo.Fuit autem virili forma decorus,moribus agrestis, proteruus atque superbus, corpore procerus, ita vt corporis proceritate, candore atque oculorum magnitudine omnes excelleret. Tantæ etiam voracitatis, vt vno die XL. libras carnis,vel vt Cordus dicit, LX. ederit, Amphoram autem Capitolinam vini biberit.

Numum percusit,cuius altera pars triumphum continet. Impe-

rator in curru variis iniginibus exsculpto, qui quatuor equis trahitur, stat, dextra ramum Lauri, sinistra hastam, cui Aquila imposita, gerens. A cuius tergo alia statua Imperatoris coronam gerens videtur, cum inscriptione; PON. MAX. TR. P. II. COS. P.P.



MAXIMINVS IVNIOR, ex patre Imperatore Maximino, & Calphurnia natus, tantæ pulchritudinis fuit, vt passim amatus sit à procacioribus fœminis, quæ de eo optauerunt concipere. Proceritatis insignis, vtpote qui paternam videretur contingere, nisi in ipso iuuentutis flore interemptus esset. Superbia insolentissima, vt cum pater suus homo crudelissimus, plerisque honoratis assurgeret, ille resideret, sibique osculari pedes, & genua pateretur. Vitæ laxioris, vinique parcissimus, cibi auidus, maximè syluestris, ita vt non nisi aprugnam, anates, grues, & omnia captiua ederet. Vestibus tam accuratis fuit, vt nulla mulier esset nitidior in mundo. Imperator simul cum patre electus, simulque cum eo anno XVIII. ætatis suæ in tentorio dormiens, necatus est. Auditáque vox illa memorabilis cùm occideretur, EX PESSIMO GENERE NE CATVLVM QVIDEM HABENDVM.

In hoc Numismate statua Imperatoris loricata & paludata, dextra sceptrum, sinistra hastile ferens, adparet. A sinistra eius parte duo signa militaria sunt collocata. Inscriptio talis habetur: PRINCIPI IVVENTVTIS. S. C.





MICABA, ſeu MECCA ex Gothia oriundus Maximini Imperatoris pater.

ABABA ex Alanis genita, Micææ vxor, mater Imp. Maximini.



CALPHVRNIA ſancta & venerabilis fœmina, Maximini Imperat. vxor: ex qua Maximinus filium etiam Imperatorem ſuſtulit.



GORDIANVS SENIOR ex patre Metio Marullo, & matre Vlpia Gordiana natus, originem paternam ex Gracchorum genere: Maternam ab Imperatore Triano trahens, adole-

ſcentiam ſuam literis & poematis exercuit. Cùm adoleuit, Quæſturam ſumma cum laude peregit. Conſul ditiſsimus & inter diuites potentiſsimus in prouinciis tantum terrarum habens, quantum nemo priuatus. Singulis menſibus de ſua ſubſtantia, populo munera dedit. Primum conſulatum cum Caracalla iniit. Poſt conſulatum Proconſul Africæ factus eſt cunctis adnitentibus & fauentibus. Alexandri Imperium per Proconſulis dignitatem illuſtrauit. Ita ab Afris in honore & reuerentia habitus, vt alii Scipionem, alii Catonem, Mutium, Rutilum, aut Lælium dicerent. Cum Maximinus in odium militum quotidie magis veniret, ob ſæuiſsimam crudelitatem, qua nulli parcebat, facta defectione militum, in Africa Gordianus iam octogenarius Imperator à militibus factus eſt, vnà cum filio apud oppidum Thyſtrum. Quod mirum in modum Senatum oblectauit, quos ambos Auguſtos declarauit. Interim Capellianus quidam, qui Mauris præfuit, vt ſibi vſurparet Imperium, cum inſtructo exercitio in Africam contra duos Gordianos profectus eſt, omnéſque Carthaginienſium populos ad ſe inclinauit. Gordianus autem filium Gordianum cõtra Capellianum & Maximinum miſit. Cúmque in re militari Capellianus eſſet exercitatior, atq; audacior, econtrà Gordianus minus expertus, pugna commiſſa Gordianus vincitur, atq; in eodem conflictu interficitur, tanta multitudine Gordiani exercitus cæſa, vt corpus Imperatoris diu quæſitum, inueniri non potuerit. Hęc vbi Gordianus ſenior didicerat, & modicas vires ſuas, Maximini verò magnas perpenderet, inſtantémque Capellianum, & raram Punicam fidem, acri dolore percitus, vt vincula hoſtium euitaret, laqueo vitam finiuit, vitámque cum Imperio dimiſit. Hic exitus Gordianorum fuit, cùm Imperaſſent I I. annis, & V I. menſibus, quos Senatus inter diuos retulit. Fuit Gordianus ſenior, ſtatura procera, canitię decora, pompali vultu, ruber magis, quàm candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte verendus: corporis qualitate ſubcraſſus, moribus ita moderatus, vt nihil poſsis dicere, quod ille aut cupidè aut immodeſtè, aut nimiè fecerit.

In priore huius Numiſmatis parte inſcriptio Græcis literis habetur talis: ΑΥΤΚ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ. ΑΥΓ. In poſteriore parte adparet Hercules nudus, pelle Leonis de collo eius pendente, dextra taurum cornu aprehendens, ſiniſtra clauam cum clypeo

peo gestans. Inscriptio literis Gręcis legitur: ΟΥ Γ Ι Α Ν Ω Ν Α Γ Χ Ι
Infrà subscriptum: Α Λ Ε Ι Ν.



GORDIANVS IVNIOR, Gordiani senis Procõsulis filius ex Fabia Orestilla Antonii pronepte natus, literis & moribus clarus fuit. In studiis grauissimæ opinionis, forma conspicuus, memoriæ singularis, bonitate insignis, adeò vt semper in scholis, si quis puerorũ verberaretur, lacrymas non teneret. Quæsturam, Heliogabalo autore, promeruit, idcirco quòd luxurioso Imperatori, lasciuia iuuenis, non tamen luxuriosa, neque infamis prædicata esset. Præturam sub Alexandro vrbanam tenuit, in qua tantus, Iurisdictionis gratia, fuit, vt statim consulatum, quem pater serò acceperat, mereretur. Maximini seu Alexandri eiusdem temporibus ad proconsulatum patris missus legatus est. Atque vnà cum patre in Africa ab exercitu Imperator creatus est, & à Senatu Augustus dictus. Antonini quoq; nomen primis sui natalis diebus, mox in Senatu sibi inditum recepit. Contra Capellianum cum exercitu maximis tempestatibus dissipato, à patre missus, ab eo victus, in prælio occubuit, Aetatis anno XLVI.

Posterior huius Numismatis pars continet statuam muliebrem galeatam, cristatam, pectore seminudo, trophæis insidentem, sinistra hastam, dextra victoriolam ferentem, quæ & ipsa dextra fert coronam Lauream, sinistra ramum Palmæ, cum inscriptione: ROMAE AETERNAE. S. C.

q Moneta



Moneta alia horum Imperatorum in qua eſt nauis quinqueremis,quæ à mari agitatur. In mari Delphini & alii piſces adparent. In nauis medio Imperator cum filio,ſtipatus militibus partim loricatis & haſtatis,partim ſigna militaria ferentibus,conſpicitur.In prora ſedet nauta temonem ducens, cum inſcriptione, TRAIECTVS AVGVSTORVM.





Metius Marullus ex Gracchorum genere oriundus, patre conſulari viro natus, ipſe Conſul, Gordiani ſenioris Imperatoris pater.

VLPIA GORDIANA originem ſuam à Traiano Imperatore ducens, Metii Marulli vxor, mater Gordiani ſenioris Imperatoris.

FAB





FABIA ORESTILLA Antonii proneptis, Gordiani senioris coniux, ex qua Gordianum filium Imperatorem, & Metiam Faustinam sustulit.

METIA FAVSTINA Gordiani senioris, & Fabiæ Orestillæ filia, quam pater Iunio Balbo consulari viro despondit.





MARCVS CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS, ET MARCVS CAELIVS BALBINVS duo consulares viri, interemptis in Africa Gordianis, Capelliano Duce, ex decreto Senatus, contra Maximinũ Imperatores sunt creati, ea lege, vt alter res domesticas, alter bellicas curaret. Vnus, qui in Vrbe resideret, alter qui obuiam Maximino pergeret. Maximus homo nouus, patre fabro ferrario, matre Prima natus, virtuti, & militari securitati semper studuit. Militaris Tribunus primùm fuit, Proconsulatum Bithyniæ, Græciæ & Narbonæ egit. Legatus Sarmatas in Illyrico contudit, & ad Rhenum rem contra Germanos feliciter gessit. Præfectus vrbis prudentissimus ac ingeniosissimus. Balbinus originem à Balbo Cornelio Theophane ex Hispania ducens, eloquentia clarus, Consul Asiam, Africam, Bithyniam

niam, Galatiam, Ponthum, Thracias & Gallias ciuilibus administrationibus rexit, ducto nonnunquàm exercitu, bellicis rebus minor, quàm ciuilibus, bonitate, sanctitate, & verecundia nimia. Hi Cæsaris & Catonis moribus comparati, receptis Imperatoriis honoribus, Tribunitia potestate, iure proconsulari, Pontificatu maximo, & Patris patriæ nomine, meruerunt Imperium, exhibitis populo ludis Scenicis ac Circensibus, gladiatorio etiam munere. Maximus contra Maximinum cum exercitu est profectus, Prætorianis domi relictis, inter quos & populum tanta seditio fuit orta, vt ad bellum intestinum veniretur, vrbs incenderetur, templa fœdarentur, plateæ cruore polluerentur, frustra prohibente Balbino, donec Gordianum purpuratum educeret. Quo viso, milites & populus in concordiam redierunt. Apud Rauennam itaque Maximus ingenti adparatu bellum instaurabat, Sed Maximino interfecto, receptóque eius exercitu, & rebus ad Aquileiam compositis, ad Vrbem Maximus contendit. Cui Senatus, populúsque obuiàm processit, statuásque equestres aureas decreuit. Pari deinde autoritate cum magna moderatione, gaudente Senatu & Populo Romano Imperium ambo administrabant, Senatui plurimùm deferebant, leges optimas condebant, moderatè causas audiebant, res bellicas pulcherrimè disponebant. Sed Maximini milites mœrentes, quòd cum Imperatorem, quem ipsi delegerant, perdiderant, eósque haberent, quos Senatus legerat, quærebant occasionem perdendorum principum, quæ tum demum inuenta est, cùm ipsorum intelligerent inter se discordiam. Cùm itaq; contra Parthos Maximus, contra Germanos Balbinus essent profecturi, ludis quibusdam Scenicis, cùm multi & milites & aulici occupati essent, milites in Palatio in eos impetum facientes, mutatis vestibus regalibus, de Palatio deturbarunt, pérque mediam ciuitatem ad castra traxerunt. Germanis verò ad illorum defensionem occurrentibus, itinere medio laniatos, occiderunt, cùm biennium imperassent. Hunc finem habuerunt boni Imperatores, indignum sanè vita, & moribus.

PVPIENVS MAXIMVS Numisma æreum percussit, in quo est corona triumphalis, ex Lauro contexta, in medio est hæc inscriptio: VOTIS DECENNALIBVS. S. C.

Fecit & BALBINVS Numisma æreum, in quo Pupienus, Balbinus

binus & Gordianus nepos, ſellis curulibus collocatis in ſuggeſtu, inſident, Gordiano medium occupante locum inter vtrunque. Ante quos ſtatua quædam ſtolata ſeminudo pectore conſiſtit, ſiniſtra cornucopiæ, dextra menſuram poculo haud diſsimilem tenens, populo aſcendenti per gradus donatiuum largiens, cum inſcriptione: LIBERALITAS AVGVSTORVM.



GORDIANVS IVNIOR, ſenioris nepos, natus, vt plures aſſerunt, ex filia Gordiani, vel ex Gordiano, qui in Africa periit, Maximo & Balbino interemptis Cæſar cùm eſſet, à militibus, Senatu, populóque Romano ingenti fauore, maximóque ſtudio & gratia Auguſtus eſt appellatus. A militibus amatus, aui vel auunculi, ſiue patris memoria, qui ambo pro Senatu & populo Romano arma ſuſceperunt, & militari morte vel neceſsitate perierunt. Intantum diligebatur, vt Senatus & milites eum filium, Populus delitias ſuas appellarent. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani mox ſubſecutum eſt. Nam eclipſis ſolis maxima facta eſt, vt nox crederetur, neq; ſine luminibus accenſis, quicquam agi poſſet, & terræmotus eouſque grauis, vt ciuitates etiam cum populis perirent. Ac ſubitò in Africa contra Gordianum conſpiratio eſt facta, ſtatímq; extincta. Bellum quoque Perſicum imminebat, ad quod dum eſſet profecturus, ne Imperium contemptibile videretur, vxorem duxit, filiam Miſithei doctiſsimi viri, cuius grauitate, & ſanctimonia vitæ, multò nobilior Imperator eſt factus. Profectus itaque ad bellum cum ingenti exercitu contra Perſas, per Mœſiam iter fecit, ac quicquid hoſtium in Thraciis reperit, deleuit, fugauit, & expulit. Inde per Syriã, in Antiochiam venit à Perſis occupatam, ibíq; frequentibus præliis pugnauit ac vicit. Sapore Perſarum rege ſubmoto, Antiochiam, Carras, Niſibin, quæ

ſub Perſarum Rege erant, recepit. Quæ omnia Senatui ſcribens Gordianus, Miſitheo ſocero accepta retulit. Vnde Senatus Diis ſupplicationes, Gordiano triumphum decreuit, & Miſitheo currum triumphalem, & titulum magnorum honorum, cum his verbis, MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPVM, PRAETORI TOTIVS VRBIS, TVTORI REIPVB. S. P. Q. R. VICEM REDDIT. Sed iſta felicitas longior eſſe non potuit. Nam Miſitheus artibus Philippi, qui eum vehementer timebat, occiſus eſt, qui per medicos curauit, vt cùm poculum iuberetur, ſiſtendi ventris gratia, accipere (effuſione enim alui laborabat) poculum daretur, quo magis ſolueretur, atque ita extinctus eſt. In cuius locum ipſe ſucceſsit, & à Gordiano Præfectus, & parens eſt appellatus. Sed omnis beneuolentiæ, pietatis ac beneficii immemor Philippus, Gordiano quoq; inſidias ſtruxit, quippe vt eum in odium militum duceret, naues frumentarias, quas Miſitheus priùs in exercitum aduexerat, abduxit, & milites in loca, in quibus annona haberi non poterat, deduxit. Dehinc artibus milites circumuenit, vt Philippum Imperatorem poſcerent, quòd iuuenis Imperium regere non poſſet. Imperium igitur Philippo eſt commiſſum, iuſſúmque à militibus, vt quaſi tutor eius, cum Gordiano pariter gubernaret. Suſcepto Imperio Philippus breui in eam ſuperbiam venit, vt Gordianum, neque in Imperatoris, neque in Cæſaris, neque in Præfecti, neque in Ducis alicuius loco haberet, & cùm ſe viuere tantum precaretur, clamantem ante conſpectum duci, ſpoliari & occidi iuſsit, Anno ætatis XXII. Imperii VI. Morte eius Romæ nuntiata, à Senatu inter deos relatus eſt. Milites apud Circeium caſtrum, ſepulcrum in finibus Perſidis fabricarunt: titulum huiuſmodi Græcis, Latinis, Perſicis, Iudaicis, & Aegyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur, addentes: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTHORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPORVM.

In hoc Numiſmate eſt Imperatoris ſtatua paludata, thorace picto induta, ocreata, redimita quoque tempora lauro, ſtans in ſuggeſtu, ſiniſtra ſchedam tenens, dextra geſtu quaſi alloquens milites. Milites loricati & haſtati coram eo ſtant, ſigna geſtantes militaria, quibus

Aquila

Aquila, imago Imperatoris, velabrum & Delphinus sunt imposita, subscriptum: EXERC. PERS.



Tranquillinam Misithei viri doctissimi ac eloquentissimi filiam, in vxorem duxit Gordianus, ac socerum Præfectum prætorii fecit.





Post Gordiani mortem, Senatus Marcum quendam virum grauem & sapientem, quem Philosophum cognominat Zonoras, Imperatorem legit. Qui subita morte in palatio vbi habitabat decessit, nec successor dilatus est: statímq; lectus à patribus SEVERVS OSTILIANVS, qui repentè cùm incidisset in morbum, medicis malè venam soluentibus, occubuit. Intereà literæ à Philippo ad Senatum missæ sunt, in quibus scriptum erat, Gordianum graui morbo affectum obiisse, & Philippum ab exercitu Imperatorem creatum, rogaréque vti Patres probarent. Senatus, qui rem nondum nouerat, Augustum Philippum appellauit.

In Numismate Marci, templum forma quadrata, in medio eius ianua apparet. In superficie & fastigio angulorum templi litui sunt infixi, in medio tecti ignis emicat. Inscriptio: CONSECRATIO.

SEVERI Numus habet in altera parte duas manus coniunctas, cum inſcriptione: FIDES SENATVS.



M. IVLIVS PHILIPPVS ARABS, vrbe Roſtris Arabiæ, ex ignobili genere ortus, patre nobiliſsimo latronum ductore, à teneris annis relicto patrio ſolo, militare cœpit. Virtute rei militaris clarus, & inſignis, Romam venit, & ſub Cæſaribus militauit, & per gradus promotionis ordinis comes, deinde Dux, pòſt Præfectus prætorio eſt factus. Cum Gordiano contra Perſas eſt profectus, ac Miſitheum Præfectum prætorii, & ſocerum Gordiani fraude necauit. Poſt cuius mortem à Gordiano huius ſceleris ignaro, Præfectus prætorii creatus, & exercitui præfectus eſt: ab eo tanquàm parens dilectus, quo ſua poſſet induſtria vti: ac conſilio, vt olim Miſithei conſiliis. Tali ſucceſſu Philippus inſolentior factus, de Imperio cogitauit, multíſque artibus odium militum in Gordianum concitans, eum tandem interfecit, ſibique Imperium rapuit. Senatui mox literas ſcribit, Gordiano morbo extincto, ſe ab exercitu Imperatorem creatum. Deceptus Senatus credidit, ipſúmque Auguſtum appellauit. Facta pace, percuſſóque cum Perſis fœdere, Meſopotamia & Aſſyria hoſtibus relicta, paſſus victricium armorum dedecus, in natali agro, vrbem ſui nominis Philippopolim condidit, Philippúmq; filium in itinere conſortem Imperii fecit. Ad Vrbem profectus, haud gratus eius aduentus fuit, quòd prouincias amiſerat. Studens omnium animos ſedare, cum inducto Perſis decreto, illis bellum indixit, ſperans ignominiã abolere, res ſine ſanguine peracta eſt, Perſis prouincias reſtituere pollicentibus. Deinde anno Imperii I I. X I. Cal. Maii, eò quòd eſſet mileſimus annus vrbis conditæ, ingenti pompa magnóque ſumptu, & apparatu Seculares ludos celebrauit. Scenicos quoque ludos in Pompei theatro, tribus diebus, totidémq; noctib

noctibus peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis vincentibus. Circenses etiam dedit, in quibus certamine currendi quadragesimus equorum è carcere missus est numerus. Hæc omnia Philippus exhibuit, licet Christianus esset, & primus Cæsarum, qui Christum professus est. Intereà Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, audita eius morte, facta irruptione, limites transgressi, vrbes & agros Rom. Imperii deuastare, prædas abducere, incendia suscitare, cædes vndiq; facere. Contra quos Philippus properè expeditionē parat: cui Marinus quidam Dux limitis Sarmatici præficitur, sed eo militari seditione oppresso, Decius vir clarus, cum supplemento copiarum à Philippo mittitur. Qui concordi assensu, statim à militibus Illyricanis Imperator est electus. Dux experientia rerum cautus, ne à principe causari posset, néve locum calumniis præberet, per fidissimum nuntium literas ad Philippum misit: quibus se excusat, promittens dignitatē se abdicaturum, ad quam inuitus tractus esset. Philippus his motus excusationibus, expeditionem, scriptis etiam nouis legionibus, cōtra Decium parauit, eductisq; copiis profectus, ingentibus minis palàm asserens, se Decium cum toto scelerato exercitu perditurum. Sed mente turbatus, ac velut furore concitus, à militibus Veronæ cæsus est. Et Romæ filius eius à Prætorianis interfectus, Anno Imperii v.

In huius Numismate Amphiteatrum cum omnibus suis ornamentis adparet, in quo ludi celebrantur Seculares. Seculares Ludos cùm celebrauit Philippus, has beluas exhibuisse memoratur: Elephātes XXXII. Alces X. Tigrides X. Leones mansuetos LX. Leopardos cicures XXX. Hienas X. Hippopotamum I. Rinocerontem I. Arcelontes X. Cameleopardalos X. Onagros XX. Equos feros XL. Gladiatorum paria mille.



PHILIPPVS filius Philippi & Seueræ ΑΓΈΛΑΣΤΟΣ, hoc

r est

eſt irriſibilis fuiſſe traditur, & adeò ſeueri ac triſtis animi, vt iam tum à quinquenni ætate nullo prorſus cuiuſquam commento, ad ridendum ſolui potuerit: Patrémque quondam in ludis Secularibus petulantiùs cachinnantẽ (quanquàm adhuc tener) vultu notauerit auerſo. A patre conſors Imperii declaratus, Romæ à Prætorianis, duodecimum agens annum, eſt interfectus.

Huius Numiſma continet Imperatoris ſtatuam loricatam, paludatam, ocreatam, dextra ſceptrum, ſiniſtra haſtile ferentem, à cuius tergo eſt Tribunus paludamento indutus, ex vtraque Imperatoriæ ſtatuę parte, ſigna militaria ſunt poſita. Inſcriptio talis legitur: PRINCIPI IVVENTVTIS.



Alia moneta horum Imperatorũ, in qua duæ victoriæ alatæ Laureatæ, pectore ſeminudo clypeum tenent, in quo hæc ſunt ſcripta: VOTIS. Inſcriptio verò eſt: VICTORIAE AVGVSTORVM.



SEVERA AVGVSTA Philippi Imperatoris vxor, ex quo Philippum filium procreauit. Hæc Chriſtum coluiſſe fertur, atque opera Fabiani Pontificis, cum marito & filio baptiſmate inſignita.

MARIN



MARINVS Dux limitis Sarmatici aduersus Scythas à fide Romanorum deficientes, Dux belli constituitur. Sed Imperator ab exercitu Illyricorũ creatus, paulò pòst in seditione militari est interfectus.

In huius Numismatis posteriore parte, signa militaria tria videntur, medio est aquila imposita cum inscriptione huiusmodi: FIDES MILIT.





M. Q. TRAIANVS DECIVS Imperator è Bubali, inferioris Pannoniæ vrbe, clarissimis parentibus natus, Vir artibus cunctis, virtutibúsq; instructus, à cunabulis semper spem bonam præbuit futuræ indolis. Ad amplissimas dignitates non ambitione, nõ emptis suffragiis, sed virtute & bonis moribus peruenit. A militibus Illyricanis primùm Imperator factus, dehinc à Senatu Augustus est dictus. Cùm magnitudinem Imperii contẽplaretur, P. Cornelium Lucinium Valerianum, virum militarem, egregiis virtutibus ornatum, annum agentem iam LX. exercitui præfecit. Ob vitæ præstantiam omnibus charus fuit. Ius quintæ relationis & Proconsulare Imperium, Ius Tribunitiæ potestatis arbitrio S. P. Q. R. permisit, Patris patriæ cognomine contentus. In Gallia ciuiles motus sedauit.

In Vrbe commoratus, cogente Senatu filium suum Decium Cæsarem fecit, qui Patribus Rempub. commendans, vnà cum filio ad liberandas Thracias profectus est. Nam Scythæ & naualibus & terrestribus copiis omnia infestabant. Victor in primis congressibus hostes in angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, compulit & obsedit, expugnasséque, ni proditus à suis fuisset. Nam hostium dux per legatos petiit, vti relicta omni præda sineret cum suis abire trans Istrum. Romanus Imperator negauit, auidus illos perdendi, qui toties fractis fœderibus irruperant, & qui prouincias Rom. Imperii sæpius inuaserant. Iámq; ad obsidendos aditus Trebonianum Gallum ducem limitis Mœsiæ cum bona parte copiarum misit. Sed consilio Imperatoris per Gallum barbaris patefacto, Imperator & filius insidiis circunuenti occubuere. Senior equo sedens, ne viuus in manus hostium perueniret inter densas hostium elapsus turbas insiliit in voraginem paludis, nec cadauer eius diligenter quæsitum, repertum est. At filius in primo conflictu est extinctus. Vixit pater annis L. & regnauit cum filio biennio nondum finito. Quidam scribunt Decium cupientem Philoppoli opem ferre, fugatum esse, reparatísque in Mœsia viribus, rediisse ad hostes, qui Philoppolim ceperant, & Priscum sibi Ducem conciliauerant, in ipso congressu ictum sagitta Decium filium decessisse, & patrem, vel vt filii mortem vlcisceretur, vel vt morte sua dolori finem inueniret, in confertissimos se immisisse hostes, & nusquàm adparuisse. Sic periit Decius pater bonitate Traiano adæquatus, qui etiam nomen optimi principis, iudicio Senatus meruit, atque inde appellatus, IMP. CAESAR. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVGVSTVS, ab exercitu Illyricano mirè dilectus. Vir artibus cunctis, virtutibúsque instructus, placidus & comis, armísque promptissimus. In omnibus laudandus, si à Christianorum suppliciis abstinuisset. In quos plurimùm desæuit, crudelisq; fuit, ac plures martyrii corona affecit.

Numum percussit DECIVS: in cuius posteriore parte templum sex colonis ordinationis Corinthiacæ fulcitum, conspicitur. In frontispicio eius inter ternas columnas loco summo est Tympanũ continens sculpturam paruæ statuæ in solio sedentis, & aliarum vtrinq; procumbentium. Sub Tympano est fenestra, & in ea statua Vestæ stolata posita. In medio templi ara videtur, in cuius basi sunt sculpti duo

duo pullifarinam colligentes,& ſupra eos variæ fructuum ligaturæ. Dextræ aræ parti quatuor laniones ſeminudi & Laureati adſiſtunt, vnus genibus procumbens, bouem mactandum cornibus trahens: Alter ſympulum vtraque manu ferens: Tertius tibiis canens: Quartus manum, inſtar lætantis extollens. Siniſtro aræ lateri Imperator ſiniſtra ſchedam,dextra patinam ſupra ignem in ara poſitum, veſtitu longiore indutus, lauróque ornatus,adſtat. A dextra eius ſacerdos velatus cernitur trullam lanioni porrigens,adhortanti ſimilis, vt ſibi ſacrificanti ex ſympulo ſanguinem infundat. A tergo Imperatoris filius eius DECIVS laureatus & paludatus puerum ducens,adparet, cum tali inſcriptione: P. M. TR. POT. COS. II. PP. S. C.

Numiſma DECII filii in poſteriore latere habet ſtatuam Imperatoris paludatam, veſte ſuccinctam & ocreatam, ſiniſtra haſtam, dextra protenſa ramum palmæ ferentem,cum inſcriptione: PRINCIPI IVVENTVTIS.





VIBIVS TREBONIANVS GALLVS, Patritiorum familia ortus, Dux limitis Mœſiæ à Decio factus,in eo plus fortunę,quàm fidei fuit. A legione,quę integra in pręlio Scytharum mãſerat,Imperator eſt electus. Qui de exercitu Romano ſuperfuerant, ad hunc confugerunt, velut ſeruatorem reliquiarum Rom. exercitus. Quo rumore adductus Senatus, Auguſtum appellauit,licet & ipſe ſcripſerit,& cum Scythis fœdus inierit,nõ ſine Rom.nominis ignominia. Tunc primùm diuturno & libero potentatu Pop. Rom. Barbaris tributa pependit Dragmarum aurearum CC. & tum primùm iugum Scythicæ ſeruitutis accepit. Sed hoc non contenti Barbari,incurſiones etiam vndique fecerunt,prædas abegerunt, Darda-

niam, Thraciam, Thessaliam, Macedoniámque & Hellada infestarunt. Asia non satis fuit tuta, Italiæ quoque bellum intentarunt. Sed opera Aemiliani ducis limitis Mœsiæ rapacissimi hostes, non sine magna cæde, in suas solitudines redire coacti sunt. Re itaq; ab Aemiliano contra Scythas feliciter gesta, ab exercitu Imperator salutatus est. Gallus interim Romæ agens, audiens Aemilianum Imperatorem creatum, filium suum C. Vibium Volusianum, consortem Imperii fecit, atque ad opprimendum Aemilianum cum filio profectus est. Sed in primo congressu deserentibus eum militibus suis, adhærentibúsq; Aemiliano cum filio cæsus est, cùm regnassent annos II. & VIII. menses, Patris ætatis anno XLVII. Sic Imperium eius, quod dolo & proditione, non virtute assecutus erat, breuissimum fuit.

Figura bouis in altero GALLI Numismatis latere videtur, ante quem cultri in vagina conditi, positi sunt. Prope eum velabrum infixum est, in quo hæc capita leguntur: LEO III. GAL. Inscriptio est, CVLTV ROMAE. Infrà scriptum, TRO.

IN VOLVSIANI Numo templum sphæricæ figuræ quatuor columnis Corinthiacis insistens, adparet, intrinsecus variis fructuum & frondium ligaturis ornatum. In medio eius statua stolata consistit. In pinnaculo templi alia statua est collocata cum inscriptione: IVNONI MARTIALI.



AEMILIANVS LYBICVS in Mauritania ortus, à pueritia cœpit stipendia mereri: & cùm pro ætate honores promotionis non deessent, Dux limiti Sarmatico in Mœsia à Decio præpositus est. Scythas, qui prouincias Romani Imperii vastabant, adort.

adortus, non fugauit modò, sed etiam bona ex parte profligauit, illorúmque regiones abactis prædis penè exhausit. Post victoriam præmiis, militibus promissis, persolutis, adeò gratus victori exercitui fuit, vt ab eo Imperator sit appellatus. Ad quem opprimendum Gallus cum filio profectus, in primis præliis ambo cæsi sunt. Aemilianus statim ad Senatum scribens, docuit se Imperatorem lectum esse, promisitque se liberaturum Thracias, & Mesopotamiam, Armenias recuperaturum, & depulsurum vndique hostes nominis Ro. Sed priusquàm opus aggrederetur, milites, qui in Alpibus erant, Valerianum Imperatorem eligunt. Quo nuntio accepto, qui Aemiliano erant, ne ciuili bello & cognatorum sanguine se inuicem inficerent, contemplantes præthereà humilitatem generis Aemiliani, & nobilitatem Valeriani, simul & laudatissimos eius mores, Aemiliano apud Spoletum interfecto, Censorio viro Valeriano se tradiderunt. Sicq; res solo ducis capite peracta est. Imperauit Menses III. Vixit annos XL.

In huius Numismatis altera parte adparent statuæ pallio succincto, galea cristata capiti imposita, sinistra hastam, dextra ramum lauri gestans, pede dextro globum calcans, cum huiusmodi inscriptione, VIRTVS AVG.




P. CORNELIVS LICINIVS VALERIANVS, nobili progenie ortus, ex patre Valerio Flacco, vita & moribus laudatis, ad omnes dignitatum gradus peruenit, cuius per annos LXX. vitæ probitas, in eam conscendit gloriam, vt per omnes honores & magistratus laudabiliter gestos, Imperator fieret, non vt solet tumultuario populi concursu, non militum strepitu, sed iure meritorum. Imperator itaque factus,

maximam de eo ſpem fortuna fefellit. Nam cùm in Perſidem profectus eſſet, & cum Perſis bellum gereret, à Sapore Perſarum rege victus, captúſque eſt, cùm ductu cuiuſdam ſui Ducis, cui ſummam rerum commendauerat, in ea loca eſſet deductus, ſiue fraude, ſiue iniqua hoc euenit fortuna, vnde nullis viribus, nullo conſilio, nulla induſtria elabi poterat. Captus ignobili, miſeráque, ac perpetua ſeruitute apud Parthos conſenuit. Quoad enim vixit, rex Sapor eo incuruato pedem ceruicibus eius imponens, equum aſcendere ſolitus erat, pro ſcabello eo vſus. Quanquàm amici Reges Armeniorum, aliique finitimi principes, Saporem regem ea victoria nimis elatum, literis admonerent, ne ea victoria abuteretur. Quinimò & Bactriani, & Hiſtri, & Albani, & Tauroſcythæ Romanis auxilia ſanè polliciti ſunt pro liberando Valeriano. Sed nihil motus Sapor Rex Valerianum crudeliſsima morte, eò quòd eſſet crudeliſsimus, à ceruicibus cutem ad imos pedes detrahendo, necauit.

Huius monetæ poſterior pars continet ſtatuam victoriæ alatæ ſtolatam, pectore ſeminudo, dextra extenſa, coronam lauream, ſiniſtra ramũ palmæ ferentem, cum inſcriptione: VICTORIA AVG.

VALERIANVS iunior alia, quàm Gallienus matre genitus, forma conſpicuus, verecundia probabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus periucundus, atq; à fratris diſſolutione ſeiunctus, à patrę abſente Cæſar eſt adpellatus, à fratre Auguſtus. Nihil habet prædicabile in vita, niſi quòd fuit nobiliter natus, educatus optimè, & miſerabiliter cum fratre Gallieno interemptus, & circa Mediolanum ſepultus, addito titulo: CLAVDII IVSSV VALERIANVS IMPERATOR.

Numiſma hoc ex ęre, vetuſtate adeò conſumptum fuit, vt in priore parte præter nomen eius, Græcis etiam literis ſcriptum, nihil legere potuerimus. Nos igitur commoditatis cauſa inſcriptionem Latinam addidimus. In poſteriore parte videtur ſtatua Imperatoria Valeriani patris palleata, loricata, ſedens, cuius dextra ſtatua muliebris, ſtolata, ſeminudo pectore, dextra temonem, ſiniſtra cornucopiæ gerens, aſsiſtit. A ſiniſtra verò ſtatua alia Valeriani filii loricata, pallio de collo pendente, conſpicitur. Ad pedes horum media ſtatua expanſis

panſis

pansis brachiis iacet, dextra fulmen tenens, in sinistra quid habuerit, propter vetustatem cognoscere non licuit. Inscriptionem huiusmodi characteribus habet: ΔΑΝΤΙΟΧΕΑΝ ΝΗΤΕΟΑΩ. Infrà subscriptum: H. C.





LICINIVS GALLIENVS Valeriani Imperatoris filius, Valeriani iunioris frater, oratione, poëmate, atq; omnibus artibus clarus: ab initio Cæsar, deinde Augustus à patre est appellatus, eique Imperium commissum. In initio Imperii nulla præclara gessit. Sed patre capto, cùm plerique captiuitatem eius mœrerent, ille supramodum lætatus est, eò quòd ceruicibus suis grauitas paterna esset adempta, ac se totum ludibriis, vino, mulierculis, popinis, lenonibus, ac mimis dedidit, Caligulæ & Vitellio simillimus: cùm interim Imperium Romanum per XXX. Tyrannos inuaderetur, dehonestare, & mulieres imperare pateretur. Gallienum fortuna diutius, quàm oportebat, reseruauit. XV. enim Imperii anno, cùm aduersus Aureolum profectus esset, cúmque apud pontem, qui ex eius nomine Aureolus appellatur, obtentum detrusúmq; Mediolanum, obsedisset, eiusdem Aureoli commento à suis cum fratre Valeriano est interfectus, ætatis anno L. cùm imperasset annos XV. cum patre VII. & solus VIII.

In huius ærei Numi parte altera, arcus eiusdem Imperatoris cum ornamentis quibusdam appensis, & columnis vtrinque conspicitur. Hic arcus adhuc in Cælio monte iuxta ædem S. Viti nullis ornamentis insignis, ex lapide Tyburtino, cernitur, & in eo legitur titulus huiusmodi: GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI, CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST, ET SALONINAE SANCTISSIMAE

S AVG.

AVG. M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINI MAIESTATIQVE EORVM. Quidam triumphalem arcum esse voluere. Sed cùm triumphi nulla adpareant indicia, neque constet de triumpho, fiatque in eo titulo de Salonina mentio, arbitramur in gratiam ipsorum ob aliquod beneficium ab ipso Aurelio positum, & super eodem statuam Gallieni, & ipsius Saloninæ locatam esse.

Licinius Gallienus filium habuit Gallienum, Saloninum cognominatum, vel quòd apud Salonas natus esset, vel à matre Salonina, vnde etiam inscriptio adhuc vetus legitur: GALLIENO MINORI SALONINO. quem in locum Cornelii Valeriani filii sui in iuuenta mortui, subrogauit. Puer adhuc decennalis à Gallis non sua sed patris causa necatus est.

Posterior Numismatis huius pars habet statuam muliebrem stolatam, pallium manibus expandentem, quo bouem à dextra, leonem à sinistra sibi stantem tegit, cum tali inscriptione: P N S C O L V I M. infrà subscriptum: A N. X I I.





SALONINAM PIPERAM, VEL PIPAM nomine in vxorem habuit Gallienus, ex qua Saloninum genuit. Hanc perditè dilexit, atq; per pactionem, concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege suscepit.

HELENA Gallieni Imperatoris altera vxor.

Series XXX. Tyrannorum, qui Valentiniano magnis belli Persici occupato necessitatibus, & Gallieno luxui vacãte, Imperium partim

tim vi, partim dolo inuaſerunt, quorum Numiſmata prius non edita, addidimus.





CYRIADES patrem Cyriadem fugiens diues & nobilis, cùm luxuria ſua & moribus perditis ſanctum ſemen grauaret, direpta magna parte auri infinitóque pondere argenti, ad Perſas ſe contulit. Sapori regi ſociatus, bellum Romanis intulit. Capta Antiochia & Cæſarea, Cæſareanum nomen accepit, atque inde à militibus Auguſtus vocatus. Cùm omnem Orientem vel virium audacia, vel terrore quateret, patrem verò interemiſſet, ipſe per inſidias ſuorum, cum Valerianus iam ad bellum Perſicum veniret, occiſus eſt.

In huius æreì Numi parte altera adparent duæ equeſtres ſtatuæ, laureatæ & paludatæ, Cyriadis & Valeriani, dextris haſtam ferentes, ambæ colloquentes, quas præcedit victoria alata, ſiniſtra trophæum gerens, dextra geſtus vocanti ſimilis, vt ſequantur. Milites verò ſigna militaria geſtantes, eas ſequuntur, cum inſcriptione: IMPERATORVM AVGG. Infrà ſubſcriptū eſt: ADVENI ANTH.

CASSIVS LABIENVS POSTHVMIVS vir Romanus. Hūc quaſi ex gregario milite ſua virtus ad dignitates prouexit. In omni vita vſque adeò grauis, vt Gallienus filium ſuum ei concrederet inſtituendum. Ob contemptum Gallieni, qui luxuriæ & popinis vacabat, à Gallis Imperator cum omni exercitu eſt electus. Sed cùm annos VII. Gallias inſtauraſſet, ſubmotis Germanicis gentibus, & Romano Imperio in priſtinam ſecuritatem reuocato, à Gallis ſemper rerum nouarum cupidis, Lolliano agente interemptus eſt.

In hoc Numiſmate eſt ſtatua Imperatoris togata ſtans, dextra

ſchedam tenens, ſiniſtra mulierem ante ſe flexis genibus procumbentem ſubleuãs. In medio vaſculum floribus repletum, eſt poſitum cum inſcriptione eiuſmodi: RESTITVTORI GALLIAE.





POSTHVMIVS IVNIOR, à patre Cæſar, ac deinceps in eius honore Auguſtus appellatus, ita literis omnibus inſtructus, ac in declamationibus tam diſertus, vt eius controuerſiæ Quintiliano dicantur inſertæ. Ac ob hanc ſolam virtutem literis notus, vnà cum patre interfectus eſt.

In parte poſteriore Aeſculapii ſtatua comata, barbata, pectore ſeminudo, dextra baculum ſerpente circumuolutum tenens conſpicitur, cum inſcriptione: SALVS EXERCITV.

De AESCVLAPIO multi variè ſcribunt. Alii enim dicunt eum eſſe Apollinis & Coronidis filium, Medicinam primum, ab Apolline patre inſtitutum, mortalibus inuexiſſe, atque adeò in ægrotorum curatione excelluiſſe, vt mortuos ab inferis excitare diceretur: ob id apud Iouem accuſatum, fulmine ictum ferunt. Alii affirmant Aeſculapium incertis parentibus natum, & expoſitum in monte Titthæo à capra nutritum, & à cane cuſtoditum, demum ab Ariſtane paſtore repertum, & ſeruatum ob radios & vultus ſplendorem, Chironi traditum, didiciſſe medicinam, eámq; Epidauri exercuiſſe. Quorundam etiam opinio eſt, ex Coronide, quæ à ſacerdotibus (vt veriſimile eſt) in Apollinis templo vitiata fuit, natum, Artem medicam ab Api Aegyptio non obſcuro inter eos, qui illic erant templi miniſtros, percepiſſe. Ea percepta voluiſſe vlterius in Aegyptiorũ vrbibus morari, ſed lucri cupidum, & conſiliis turpibus obnoxium, omnem circuiſſe orbis regionem, ab omnibus lucra petentem, & venale ſtudium

ſuum

suum languentibus exhibentem. Inflatumq; ob scientiam, se Deum etiam nominasse, & mortuos ab inferis excitare posse iactasse: Venientémq; ad Epidaurios, & ibi summam sibi gloriam arrogantem, fulmine ictum periisse, pœnam illi dignissimam Deo inferente. Pluribus autem in locis cultus est Aesculapius, præcipuè Romæ in insula Tyberina, quæ biremis formam habere videtur, & formam accepisse eius nauis, qua Aesculapius Romam aduectus est. Vbi fingitur in manu habere baculum nodosum, quod significat difficultatem artis: laurea coronatus, quòd ea arbor plurimorum sit remediorum, & Draco eius tutelæ additus, quòd vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima est.

LOLLIANVS, cuius rebellione Posthumius est interemptus, in locum Posthumii subrogatus, delatum sibi à Gallis Imperium assumpsit: Augustus dictus, plerasque Galliæ ciuitates, nonnulla etiam castra, irruptione Germanorum diruta, integrauit. Cúmque nutans Gallieni luxuria Imperium, in pristinum statum reformasset, à militibus, quòd in labore nimius esset, occisus est.

In hac moneta adparet statua LOLLIANI laureati, paludati, equo insidentis, militibus signa militaria ferentibus, concionaturi, quem sequitur alius miles labarum gestans. Inscriptio talis legitur: FIDES MILITVM. Infrà: EXERCITVS GALL.





POSTHVMIVS SENIOR cùm se videret multis Gallieni viribus peti, VICTORINVM militaris industriæ virum in Imperii principatum vocauit, adhibitis ingentibus Germanorum auxiliis, cúmque diu bella traxissent, victi sunt. Interfecto verò Lolliano, solus

Victorinus Imperio potitus est. Sed cùm corrumpẽdis militum matrimoniis vacaret, à quodam actuario, cuius vxorem constuprauerat Agrippinæ, cum filio, qui adhuc puerulus erat, interfectus est. Vir fuit alióqui fortissimus & optimus Imperator, virtute Traiano, clementia Antonino, grauitate Neruæ, gubernando ærario, Vespasiano, censura vitæ Pertinaci, & seueritate militari, Seuero comparatus à scriptoribus.

NVMISMA IVNIORIS.

Aureus hic numus in altera parte continet Aram, in qua est ignis iniectus. A dextra aræ parte est muliebris statua, longiore veste induta, dextra globum Imperatori ab altera ara parte stanti offerens, sinistra schedam tenens. A tergo eius duo signa militaria Labarum & Aquila, sunt collocata. Imperator loricatus & paludatus ab altera aræ parte stans, sinistra sceptrum gerit, dextra globum oblatum recipit. A tergo eius Tribunus militum adparet, cum tali inscriptione: VICTORIA MATRIS CASTRORVM. Infrà subscriptum: F. M. P. A.

VICTORINVS IVNIOR Victorini filius, Cæsar à patre appellatus, vnà cum eo adhuc paruulus à militibus est interemptus, ac circa Agrippinam sepultus. Extant adhuc apud Agrippinam sepulcra breui marmore, in quibus hæc inscriptio legitur: HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT.

NVMISMA SENIORIS.

In Numismate senioris Victorini statua muliebris veste longa, brachiis seminudis, dextra temonem, sinistra cornucopiæ tenens, adparet, cum inscriptione: PROVIDENTIA AVG.





MARIVS, aliàs MAMVRIVS seu VECTVRIVS, faber Ferrarius.

rarius, armorum opifex, post superiores interemptos, imperiũ assumpsit. Vir strenuus, ac militaribus vsque ad Imperium gradibus euectus, in quo triduo tantùm permansit. Occisus enim à quodam milite operario eius in officina fabrili: Qui gladio in eum ruens, dixit, HIC EST GLADIVS QVEM IPSE FECISTI. Miræ fortitudinis homo fuit in manibus & digitis, adeò, vt currus digito salutari sisteret, & fortissimos quosque vno digito sic affligeret, quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi, dolerent, multos quoque digitorum allisione contereret.

FVSCO ET BASSO COSS. Gallieno vino & popinis vacante, & continuatione luxuriæ omnia deperdente, INGENVVS qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus, cæteris Pannoniorum valentibus Imperator est dictus. Neque in quoquam melius consultum à militibus videbatur, quam quod instantibus Sarmatis Imperator est creatus, qui fessis rebus mederi sua virtute posset. Sed à Gallieno conflictu habito victus est. Ac cùm in omnes nullo respectu Gallienus sæuisset, adeò vt nonnullas ciuitates vacuas à virili sexu relinqueret, veritus eius crudelitatem Ingenuus, ne in manus eius perueniret, pugione se transfodit, Vir fortissimus, Reipub. necessarius, & militibus acceptissimus.

Aerei huius Numi pars posterior habet statuam muliebrem, brachiis nudis, sinistra labarum gerentem, dextra globum Imperatori offerentem. Ab Imperatoris tergo Tribunus adparet militum. Inscriptio adiecta: PANNONIA VIRTVS AVGVST. Subscriptum: SIRM. P.






REGILLIANVS gentis Daciæ Decibali ipsius affinis, vir in mi-

litari re ſemper probatus, & Gallieno iam antè ſuſpectus, quòd dignus videretur Imperio. In Illyria ducatum gerens,contra Sarmatas multa feliciter geſsit. Mœſis autoribus Imperator eſt factus. Fuit ei lubricum ac penè ridiculum principium ad Auguſti nomen occupandum. Nam in cœna quadam cùm Valerianus Tribunus quæreret Etymologiam proprii nominis Regilliani,& quidam reſponderet à regno,Milites eo nomine putarunt illum Imperatoria dignitate honeſtandum,ac ſequenti die cùm proceſsiſſet, Imperator à principibus eſt ſalutatus. Autoribus tamen Roxolanis (quos Moſcouitas appellamus) conſentientibúſque militibus, & timore prouincialium,ne Gallienus grauiter ſæuiret in eos,interemptus eſt.

In hoc Numiſmate continetur Templum forma quadrata,in modum templi Pacis factum,in cuius medio vnica eſt ianua, igne in tecto emicante,cum inſcriptione: CONSECRATIO.

AVREOLVS Dux exercitus Illyrici,in contemptum Gallieni,à militibus coactus eſt ſumere Imperium. Cúmque Gallienus contra eum,tanquàm virum fortem,fruſtrà ſæpius pugnaſſet,communicato cum eo Imperio pacem fecit.Huius commento paulò pòſt Gallienus à ſuis interfectus eſt.Ac ipſe poſt eundem cum Gallieno conflictum circa Mediolanum in ponte, qui Areolus dicitur, à Clodio eſt occiſus, atque illic ſepulcro humiliore, vt Tyranno, & Epigrammate donatus.






Capto Valeriano clariſsimo principe,& Aureolo vſurpante Imperium,ac exercitibus de alio Imperatore eligendo conſultantibus, conſilio Baliſtæ præfecti Valeriani MACRIANVS vir fortis,conſtans,integer,probatus in Rep.& diues. cum duobus. filiis. Imperator

tor creatus est. Ac statim vtcunque rebus in Oriente compositis, filióque vno relicto, contra Gallienum profectus est. Sed cum XLV. milia militum secum ducens in Illyrico, vel in Thraciarum extremis congressus esset, cum Domitiano Aureoli Duce fortissimo & vehementissimo, victus, cum filio interemptus est, exercitu suo in potestatem Aureoli veniente.

In parte posteriore monetæ huius adparent tres statuæ Macriani senioris, & filiorum Macriani, & Quieti, sedētes in sellis curulibus in suggestu positis, à quorum tergo statua Palladis, nudo pectore, brachiis expansis, vtraq; manu vasa quędam pecunia repleta ferens, conspicitur. Ante eos alia statua, Mineruæ scilicet, videtur, donatiuum militibus per scalas suggestui applicatas, ascendentibus præbens, cum inscriptione: PONT. MAX. TR. POT. Subscriptum verò: LIBERALITAS AVGG.

MACRIANVS IVNIOR matre nobili, patre forti viro natus, à Valeriano Tribunus constitutus, multùm in armis potens, cum patre Augustus appellatus, cum eodem à Domitiano victus, & triginta milibus militum spoliatus, necatus est.





QVIETVS Macriani senioris filius, Balistæ iudicio cum patre, & fratre Imperator est dictus. Adolescens Imperio dignus, ab Odenato, qui iam certior factus Macrianum seniorem, & filium ab Aureolo victos & occisos, milites quoque in eius potestatem concessisse, quasi Gallieni vindicaret partes, est interfectus.

Hæc moneta refert muliebrem statuam, veste longiore: eáq; succinct

cincta, brachiis nudis, sinistra vestem subleuat, dextra lilium gerit, cum inscriptione: SPES PVBLICA.

ODENATVS PALMIRENVS Decurio, congregata magna militum copia, agrestiúmque manu, rem Romanam tutatus est. Nam nisi Imperium suscepisset, in Oriente res perditæ essent. Assumpto primo nomine regali cum Zenobia vxore, & filio maiore Herode collectis copiis in Persas profectus, Nisibin primùm, & Orientis pleraque cum Mesopotamia in potestatem recepit. Ad Ctesiphonta vsque profectus, Saporem regem, cum liberis in fugam vertens, regios thesauros, regiásque concubinas cepit. Inde ad Orientem se vertit, Macrianum, qui aduersus Gallienum Imperium assumpserat, oppressurus: sed illo iam profecto contra Aureolum & Gallienum, ibique interempto, Quietum interfecit. Composito Orientis statu, á Consobrino suo Mæonio, qui & ipse Imperium sumpserat, simul cum filio Herode est occisus. Vir acer in bellis, & venatu memorabili semper inclytus, qui à prima ętate capiendis Leonibus, & Pardis, Vrsis, cæterisque syluestribus animalibus sudorem officii virilis impendit: quique semper in syluis ac montibus vixit, perferens calorem, pluuias, & omnia mala, quæ in se continent venatoriæ voluptates, quibus obduratus Solem & puluerem in bellis Persicis tulit.




HERODES non Zenobia matre, sed priore vxore genitus, cum patre Imperium accepit, homo omnium delicatissimus, prosus Orientalis, & Græcæ Orientalis, cui quicquid regalium concubinarum, quicquid gemmarum diuitiarúmque cepit Odenatus, eidem tradidit, paternæ indulgentiæ affectione permotus, cum patre simul periit.

In huius Numismatis altera parte, Ara quadrata forma, & in cuius suprema

ſuprema ſuperficie ignis conſpicitur.Inſcriptio talis legitur: PRINCEPS IVVENTVTIS.

MAEONIVS Odenati conſobrinus, homo ſpurciſsimus, inuidia ductus, Odenatum optimum Imperatorem cum filio interemit, Zenobia conſentiente: quæ ferre non potuit, quòd Herodes priuignus priore loco, quàm filii eius Herennianus & Timolaus principes dicerentur, per errorem Imperator appellatus, breui pro luxuriæ ſuæ meritis, occiſus eſt.




BALISTA vir inſignis, eruditus, & in conſilus vehemens, in expeditionibus clarus, ad gerendam Remp. ſingularis, inter triginta tyrannos connumeratur, de quo tamen ſcriptores ambigunt num imperauerit. Nam alii aſſerunt priuatum eum in agro ſuo apud Daphnen vixiſſe. Multi & ſumpſiſſe illum purpuram & more Romano imperaſſe, exercitum duxiſſe, & de ſe plura promiſiſſe affirmant. Hoc tamen certò conſtat Valeriani præfectum fuiſſe, eique acceptiſsimum. Occiſum per hos, quos Aureolus ad comprehendendum Quietum Macriani filium, quem prædam ſuam eſſe dicebat, miſerat. licet quidam à gregario milite in Odenati gratiam, qui tum vniuerſum tenebat Orientem, in tentorio ſuo cubantem occiſum ſcribant.

In hoc Numiſmate æreo conſpicitur ſtatua muliebris, ex menſura, quam manibus fert, annonam effundens, à cuius tergo vaſculum floribus repletum, eſt poſitum. Ante eam aliæ duæ adparent ſtatuæ: vna flexis genibus, terræ procumbens, annonam in ſinu excipiens. altera petenti ſimilis. In infimo loco figura lunæ falcatæ & ſtellæ cernitur, cum inſcriptione: ANNONA AVGVST.

VALENS vir militaris,simul etiam ciuilium virtutum gloria pollens,proconsulatum Achaiæ,à Gallieno datum,magno honore gubernauit.Quem Macrianus vehementer reformidans, simul quòd in omni genere vitæ satis clarum norat, simul quòd inimicum sibi esse inuidia virtutum sciebat,misso Pisone interfici præcepit. Sed Valens diligentissimè cernens , ac prouidus,neque aliter posse sibi subueniri existimans,sumpsit Imperium,& breui à militibus interemptus est.





PISO ex nobilissima Pisonum familia, vir consularis , à Macriano ad interficiendum Valentem missus,Thessaliam accessit, atq; illic paucis consentientibus Imperium assumpsit , Imperator quasi Thessalicus appellatus. Vir summæ sanctimoniæ,& temporibus suis frugi dictus,omnibus principibus acceptissimus. Missis à Valente percussoribus trucidatus est , paulò antè, quàm à suis Valens occideretur,eique posteà à Senatu diuini honores sunt decreti.

In posteriore latere Imperator loricatus sellæ Curuli insidens , sinistra sceptrum,cui aquila imposita tenens,dextra globum sibi oblatum à statua muliebri corona thurrita ornata ante se stanti recipiens adparet. Ad pedes eius vas floribus impletum positum est. A tergo verò victoria alata sinistra palmæ ramum gerens , dextra coronam Imperatori impositura conspicitur, cum inscriptione : THESSAL. AVGVST.

Aemilianus apud Aegyptios in Gallieni odium, coactus est Imperium suscipere,consentientibus Aegyptiacis exercitibus. Ad regendum Remp.vigor ei non defuit. Nam Thebaidem totámque Aegyptum peragrauit,& quatenus Barbarorum gentes forti autoritate

tate submouit, Virtutum merito Alexandrinus, vel Alexander vocatus. Parata in Indos expeditione, à Theodato captus viuúsq; Galieno missus, in carcere strangulatus est.

Huius argentei numi pars altera repræsentat statuam muliebrem, nudam, humi procumbētem, sinistro brachio canistro floribus abundante innitentem, manu sinistra Cornucopiæ, dextra globum, cui insidet ciconia, tenentem. Aliam deinde equestrem statuam habet, dextra globum apprehendentem, quam sequitur miles labarum gerens, Inscriptione tali addita: ADVENTVS AVG. AEGYP.





SATVRNINVS Gallieni dissolutionem ægrè ferens, à militibus coactus Imperium suscepit. Vir prudentiæ singularis, grauitatis insignis, vitæ amabilis, militaris disciplinæ obseruantissimus, Barbarorum victoria clarus. Post multa strenuè in Imperio gesta, quòd esset militibus seuerior, & grauior, ab iisdem ipsis, a quibus electus, interemptus est.


TETRICVS SENIOR Præsidatum in Gallia regens, Victoria matre Victorini interfecti suadente, Imperium suscepit, Augustúsque appellatus. Cùm multa præclara egisset, & militum insolentiam diutius ferre non posset, maluit se grauissimo principi Aureliano subiicere, quam insidiosis imperare. Sed Aurelianus nihil mite, nihil tranquillum cogitans, Senatorem Pop. Romani, eundem consularem, quíque Gallias omnes prudentissimo consilio rexerat, per triumphum duxit, & postea non solum viuere, sed etiam in summa dignitate, commissa illi tota Italia, manere passus est, illum sæpe collegam, nonnunquàm commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellans.

In hoc Numiſmate continentur ſigna religionis cum inſcriptione: PIETAS AVG.




TETRICVS IVNIOR puerulus adhuc, à Victoria Cæſar eſt appellatus, cum patre ab Aureliano per triumphum eſt ductus, & deinde omnibus Senatoriis honoribus functus eſt, illibato patrimonio, quod ad ſuos poſteros miſit, ſemper inſignis.

TREBELLIANVS in Iſauria Princeps, quem cùm alii Archipiratam appellaſſent, ipſe ſe Imperatorem dixit, monetam etiam ſuo nomine cudi iuſsit, & palatium in arce Iſauriæ conſtituit. Cum ſe in intima Iſaurorum loca munitus difficultatibus & montibus contuliſſet, aliquandiu apud Cilicos Imperauit. Sed per Gallieni ducem Cauſiſoleum, natione Aegyptium, fratrem Theodoti, qui Aemilianum ceperat, ad campum deductus, victus & occiſus eſt.

HERENNIANVS ET TIMOLAVS Zenobiæ & Odenati filii, quorũ nomine Zenobia vſurpato ſibi Imperio diutius, quàm fœminam decuit, Imperatoris habitu purpuratos concionibus adhibuit, quibus & ipſa ſemper interfuit. Ab Aureliano dicuntur

tur interempti. Multi tamen morte naturali consumptos affirmant. De Timolao dicitur eum vsque adeo bonarum literarum studiosum fuisse, vt in Rhetorem adhuc puer euaderet.

CELSVS, Vibio Pasieno Proconsule Africæ, & Fabio Pompeiano Duce limitis Lybici, ab Afris, ornatus peplo Deæ cœlestis, Imperator est appellatus. Hic priuatus ex tribunis in Africa positus in agris suis viuebat, sed ea iustitia & corporis magnitudine, vt dignus videretur Imperio. Sed per quandam mulierem Gallienam nomine, consobrinam Gallieni, VII. die interemptus est, atque inter obscuros Principes vix relatus est.




ZENOBIA, ex Cleopatra Ptolomeorúmque gente, Odonati vxor, Gallieno adhuc iniquißimè agente, accepto sago, & diademate Imperiali filiorum Herenniani & Timolai nomine, diutius, quàm fœmineum sexum decuit, imperauit, mulier peregrina, moribus ac vitæ integritate ornata, pulchritudine conspicua, tantæ castitatis, vt ne virum suum sciret, nisi tentatis conceptionibus. Vixit regali pompa, Persico more, Regum Persarum more adornata, Imperatorum Rom. more conuiuata est. Ad conciones processit galeata, cum purpureo limbo, gemmis depēdentibus per vltimam fimbriam. Historiæ Alexandrinæ, atque Orientalis ita edocta, vt eam epitomasse videretur. Ab Aureliano victa, in eius conspectum ducta, atque ab eo interrogata, quare ausa esset Rom. Imperatoribus resistere, respondisse fertur: IMPERATOREM TE ESSE RECOGNOSCO, QVI VINCIS, GALLIENVM ET AVREOLVM, ET CAETEROS, PRINCIPES NON PVTAVI, VICTORIAM MEI SIMILEM CREDENS IN CONSORTIVM RE-

GNI VENIRE, SI LOCORVM FACVLTAS PATERETVR, OPTAVI. Deinde ab eodem per triumphum ducta ea ſpecie, vt nihil pompabilius, atque magnificentius populo Rom. videretur, ita gemmis ornata, vt ornamentorum onere laboraret. Huic autem per Aurelianum viuere conceſſum, matronæ more Romanæ, cum liberis vitam egit. Mulier vultu ſubaquilino fuſci coloris, nigris oculis, ſpiritus diuini, incredibilis venuſtatis: tanti in dentibus candoris, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes.

In huius altera parte Zenobia galeata, loricata & paludata, in ſuggeſtu ſtans, dextra haſtam ferens, concionari videtur, vtrinque collocatis ſignis militaribus, ita vt à dextra labarum, à ſiniſtra aquila adpareat. Ante eam milites ſcutati & galeati conſpiciuntur audientes Imperatricem concionantem, quorum vnus equum ducit, inſcriptione adiecta: VIRTVS AVGVST. ſubſcriptum verò, FIDES EXERCIT.

VICTORIA mater caſtrorum dicta, poſt occiſos Poſthumium, Lollianum, Marium apud Treuiros, Tetricum ad Imperium adhortata eſt, eóque regnante occiſa eſt: quamuis nonnulli ſcribant eam fatali neceſsitate occubuiſſe. In cuius memoriam numi aurei, argentei & ærei cuſi ſunt, quorum forma apud Treuiros extat.

Numus hic æreus in altera parte imaginem refert aquilæ expanſis alis fulmini inſidentis. Inſcriptio eſt Græcis characteribus, quæ tamen propter vetuſtatem cognoſci non potuit.



TITVS Tribunus Maurorum, qui à Maximino inter priuatos relictus fuerat, timore violentæ mortis, vt tamen aliis placet, inuit

inuitus,coactus à militibus Imperium assumpsit. Quanuis quidam dicant,cum ab Armenii sagittariis,quos Maximinus, vt Alexandrinos & oderat,& offenderat principem factum. Vir imprimis erga Remp.domi forisque laudabilis,sed Imperio parum felix. Post vindicatam defectionem,quam consularis vir magnus Maximino parauerat,à suis militibus interemptus est.

In altera Numi huius argentei parte adparet templum figuræ quadratæ,cum inscriptione: CONSECRATIO.

CALPHVRNIA huius Titi vxor,sancta & venerabilis fœmina fuit de genere Censorinorum,id est,Pisonum,quam maiores vniuiriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt, cuius statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Hæc vniones Cleopatranas habuisse perhibetur, & lancem centum librarum argenti, cuius pleriq; Poëtæ meminerunt, in qua maiorum eius expressa ostenditur historia.

CENSORINVS vir planè militaris, & antiquæ in curia dignitatis,bis Consul,bis Præfectus prætorii,ter Præfectus Vrbis,quartò Proconsul,tertiò Consularis, legatus Prætorius secundò, quartò Aedilitius, tertiò Quæstorius, extra ordinem quoque Persica legatione functus, etiam Sarmatica. Post omnes honores cùm in agro suo degeret senex,atque vno pede claudicans vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat, factus est Imperator, & scurrarum ioco, Claudius appellatus est. Cúmque se grauissimè gereret,neq; à militibus ob disciplinam Censoriam ferri posset,ab his ipsis, à quibus factus fuerat, interemptus est. Extat eius sepulcrum,in quo grandibus literis circa Bononiam incisi sunt omnes eius honores,vltimo tamen versu adscripto:

FELIX AD OMNIA, INFELICISSIMVS IMPERATOR.



FLAVIVS CLAVDIVS, à quo Constantinorum familia orta, è Dalmatis, vel, vt quibusdã placet, è Dardaniis originem duxit. Militaribus virtutibus maximè clarus fuit. Sub Decio militans, inter fortissimos pugiles in Martiali iudicio, dum luctarentur milites, numeratus est, armillis, torquibúsque donatus. Sub Valeriano, Illyrici exercitus Tribunus ac quintæ legionis Præfectus multa præclara gessit, adeò vt maximis muneribus ab eo sit affectus, licet etiam Decius eum donis sit prosecutus, Gallieno ita charus, vt eum parentem & amicum appellaret, eiúsque morientis sententia Imperator sit designatus. Imperium adeptus, leges optimas condidit, in malos animaduertit, fures iudices palàm vindicauit. Denique in gubernanda Repub. ita se gessit, vt eius stirpem ad Imperium Senatus Principésq; eligerent. Aureolum tyrannum, qui grauior Reipu. fuerat, primo conflictu à Reipub. gubernaculis depulit, atque occidit, receptis regionibus, quas occupauerat. Sarmatas, Getas, Scythas, Quados, qui Romanum inuaserant Imperium, consumpsit, Daciam recuperauit, Gothos & Sarmatarum vniuersa genera, qui cupiditate prædæ, in Romanum solum irruperant, atque ibi pleraque deuastarant, virtute sua superauit & contriuit, interfectis CCC. & XX. milibus, ita vt paucissimi ad patrium solum redirent. Nauali quoq; pugna hos oppressit, ac submersit cum duobus milibus nauium. Barbaras gentes fuga elapsas in eremis ac solitudinibus, necnon in Hœmi montanis fame ac pestilentia confecit. Scythas, qui Cretam, & Cyprum vastare sunt conati, repulit. Post bellum Gotichum morbo correptus, eóque ingrauescente interiit, cum II. tantùm regnasset annis, nulla de se relicta sobole. Cui post mortem Senatus in Capitolio auream statuam, & clypeum aureum expressa vultus eius imagine, collocauit. Vir integerrimæ vitæ, morum grauitate insignis, & in

in quo magnorum principum dotes emicuerunt, staturæ proceræ, oculis ardentibus, lato vultu, digitis vsq; adeò fortibus, vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit.

In huius Numismatis parte altera leo rictum oris aperiens, & in superiore loco claua Herculis conspicitur, adiecta inscriptione: MEMOR HERCVL. DD. NN.



AVRELIVS QVINTILLVS frater Claudii Imperatoris, Dux Italici præsidii, ob egregias virtutes post mortem fratris Claudii à Senatu Cæsar Augustúsque est appellatus. Vbi verò audiuit Aurelianum ab exercitu Imperatorem creatum, séque imparem illius conatibus esse vidit, maléque expertus concione militum voluntatem, qui omnes fauebant partibus Aureliani, venas soluit, & voluntariè duobus relictis liberis decessit. vel vt quidam volunt, quòd se grauem, & serium contra milites ostenderat, eo genere quo Galba, quo Pertinax, interemptus est XVII. Imperii die.

Moneta hæc ex altero latere refert statuam muliebrem stolatam dextra sceptrum, sinistra Cornucopiæ gerentem, cum inscriptione: HONOS EXERCIT.

FLAVIVS CRISPVS Clodii Imperatoris & Quintilli frater, filiam habuit, qui ex Eutropio nobilissimo gentis Dardaniæ viro, Constantium Cæsarem genuit.

In huius Numi parte posteriore adparet victoria alata, dextra trophæum, sinistra ramum palmæ gerens, pede sinistro, captiuum

ante ſe manibus poſt tergum reuinctis, humi iacentem, calcans, cum tali inſcriptione: ALEMANIA CAPTA.



VALERIVS AVRELIANVS Sirmii in Pānonia familia obſcuriore ortus, cuius mater ſacerdos templi Solis fuit, vel, vt quidam ferunt, patre mediocri Aurelii clariſsimi Senatoris colono inter Daciam & Macedoniam creatus. A pueritia viuaciſsimus, viribúſque inſignis fuit, omnis inertiæ ac otii ita impatiens, vt nullum vnquàm diem ne feſtum quidem, quo non ſe variis armorum generibus exerceret, prætermitteret. Adulta verò ætate fuit procerus ſtatura, neruis validiſsimis, vini cibiq; paulò cupidior, libidinis raræ, gladii agitandi ſtudioſus, ſeueritatis immenſæ, diſciplinæ ſingularis. Erumpentes Sarmatas in Illyrico, cum trecentis præſidiariis ſolus attriuit, & propria manu vna die bello Sarmatico quadragintaocto, pluribus autem diebus plus, quàm nongentos interfecit. Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ apud Maguncíacum Francos irruentes in Galliam repulit. Tanta ſeueritate militum delicta correxit, vt omnibus eſſet formidoloſus, ac vitia quæque ab exercitu amoueret. Ob id à pluribus Imperatoribus, ſortitus diuerſos Ducatus & Tribunatus, liberatórque Illyrici & Galliarum reſtitutor, eſt dictus. A Valeriano conſul deſignatus, Gothos fudit, eorúmque Ducem interemit. Mortuo Claudio Imperator factus, Sueuos, Sarmatas, Marcomanos, qui Romanis tantum incuſſerant terrorem, vt iam de Vrbe deſperarēt, ſuperauit. In Vrbe ſubortas ſeditiones maximas, interfectis pleriſq; nobilibus, & Senatoribus, compeſcuit. Actis Vrbis mœniis, compoſitóque totius Vrbis ſtatu, ad Orientem eſt profectus. In itinere in Thracia & Illyrico accurrentes Barbaros proſtrauit, Gothorum ducem trans Danubium interfecit, Bithyniam recuperauit,

ciuit

ciuitatem Thyanam & Palmyram expugnauit. Post obtentam dehinc Antiochiam, contra Zenobiam apud Emesam, magno certamine pugnauit. Qua fugata & superata, Emesam victor ingressus, Soli templum extruxit, quasi communi officio vota soluturus. In Europam reuersus, omnes vagantes hostes contudit. Firmum Seleucium quendam, qui Aegyptum sibi vendicasset, atq; ad defendendas partes, quæ supererant Zenobiæ, Imperium sumpsisset, fugauit atq; occidit. Tetricum in Galliis Imperatorem creatum, sponte se cum exercitu prodentem, suscepit. Inde Romam reuersus, speciosissimum egit triumphum, in eo Tetricum & Zenobiam secum ducens. Post triumphum dona populo distribuit, leges plurimas, & quidem salutares, sanxit, sacerdotia composuit, Templum Solis fundauit, & Pontifices roborauit, Ministris & Architectis emolumenta decreuit, Αμνησίαν publicorum delictorum constituit. Ad Gallias deinde profectus, Vindelicos obsidione Barbarica liberauit. Sed cùm per Illyricum contra Persas pugnaturus, iter faceret, apud Zenophorium inter Heraclæam & Byzantium, malitia notarii sui, quòd princeps esset seuerus, truculentus, & sanguinarius, & Imperator magis necessarius, quàm bonus, interemptus est, Anno Imperii VI. A Senatu deinde inter diuos relatus.

Hunc triumphum Flauius Vopiscus Syracusanus sic describit: Currus regii tres fuerunt, in his vnus Odenati argento & auro & gemmis operosus, atque distinctus: alter, quem rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus: Tertius, quem sibi Zenobia composuerat, sperans se vrbem Romam cum eo visuram, quod illam non fefellit: Nam cum eo vrbem ingressa est victa, ac triumphata. Fuit alius currus, quatuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur regis Gothorum, quo, vt multi memoriæ tradunt, Aurelianus Capitolium inuectus est: vt illic cęderet ceruos, quos cum eodem curru captos vouisse Ioui Opt. Max. ferebatur. Præcesserunt Elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ, Palestinæ diuersæ ducentæ, quas Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret, Tygrides quatuor, Camelopardi, Alces, cætera talia per ordinem ducta, Gladiatorum paria trecenta, præter captiuos gentium barbararum, Blennos, Axomitas, Arabes. Erant quoque Bractani, Hiberi, Sarraceni, Persæ, cum suis quiq; muneribus, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ,

Franci, Sueuii, Vandali, Germani religatis manibus, captiui præcesserunt. Inter eos etiam Palmyreni, qui superfuerant principes ciuitatis, & Aegyptii ob rebellionem ducti sunt, & decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gethas ceperant, quas de Amazonibus ortas, titulus indicabat. Prælati sunt tituli, gentium nomina continentes. Inter hæc fuit Tetricus, chlamyde coccinea, tunica Galbina, brachis gallicis ornatus, adiuncto sibi filio, quem Imperatorem in Gallia nũcupauerat. Incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, ac catenis aureis, quas sibi fecerat, vincta. Præferebantur coronæ ciuitatum aureæ titulis eminentibus proditæ. Iam populus ipse Romanus, iam vexilla collegiorum atq; castrorum, & cataphractarii milites, omnis exercitus, & Senatus (etsi aliquantulũ tristior, quòd Senatores triumphari videbant) multum pompæ addiderunt. Deinde in Capitolium vix nona hora peruenit, serò autem ad palatium. Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum Scenicorum, ludorum Circensium, venationum, gladiatorum, naumachiæ.





A V R E L I A N O interempto, sex totis mensibus interregnum fuit, dum bonus quæritur Imperator. Quod rarum & difficile fuit Senatui populóq; Romano. Tanta autem interim militum concordia, tanta populi quies, vt sub iudicio Senatus militum & populi totus orbis temperaretur. Prærogatiuam electionis ad Senatum exercitus retulit. Senatus verò quòd sciret lectos à se principes militibus non placere, rem ad milites reiecit. Tandem cùm diu esset certatum, permittentibus militibus, Senatus P. ANNIVM TACITVM, virum præstantem & Reip. necessarium Imperatorem elegit, atque Augustum consalutauit, inuitúmque, senectutem & valetudinem causantem, Imperium assumere coëgit. Assumpto Imperio, omnia

omnia ſeſe ex Senatus ſententia,quæ commoda Reipub.viderentur, agere pollicitus eſt. Stipendium & donatiuum ex more pollicitus eſt.Aureliano ſtatuas ex auro & argento decreuit,omnibus,qui eum occiderant,interemptis. Pecuniam,quam domi collegerat,in ſtipendium militum conuertit. Cornelium Tacitum ſcriptorem hiſtoriarum, parentis loco habuit, eiúſque libros in omnibus Bibliothecis collocari iuſsit, & ne lectorum incuria perirent, decies ſingulis annis ſcribi publicè curauit. Domum ſuam eſt demolitus,atque in eo loco Thermas publicas priuato ſumptu extruxit. Vitæ fuit parciſsimæ. Tunicis & togis iiſdem in Imperio vſus,quibus priuatus.Balneis rarò eſt vſus. Validior multò in ſenectute, adeò vt etiam ſenex minutulas literas ad ſtuporem legeret. Fabricarum peritiſsimus,marmorum cupidus,venationum ſtudioſus,homo doctiſsimus, qui nullum intermiſit diem,in qua non aliquid ſcriberet,aut legeret. Ob temporis breuitatem,nihil præclari geſsit.Inſidiis enim militaribus VI. Imperii menſe eſt necatus, vel, vt alii tradunt, febre correptus, apud Tharſum interiit.

In hoc Numiſmate æreo adparet Imperator loricatus, laureatus & paludatus, ſiniſtra haſtile ferens, dextra eleuata geſtu quaſi ſignificans ſe pacem adferre.Quem præcedit victoria alata,ſiniſtra ramum palmæ ferens,dextra vocanti ſimilis.Sequuntur verò eum milites ſcutati & galeati,ſigna geſtantes militaria.Inſcriptio nulla legi poteſt.

M. ANNIVS FLORIANVS, Annii Imperatoris frater germanus, vir imperandi cupidus, tum mox, non Senatus autoritate, ſed ſuo motu, quaſi hæreditarium arripuit Imperium: licet fratrem in Senatu adiuratum ſciret,optimum aliquem ſibi principem nullum hæredem ſuccedere debere,illúdque duobus menſibus tenuit. Nam cùm Probum intelligeret regnare, quem omnis exercitus, tanquàm virum militarem & ſtrenuum,atque Imperio dignum elegerat, ſolutis venis occubuit: vel ſecundum aliorum opinionem, à militibus Tharſi occiſus. Sic duo principes ex vna domo, breui tempore, quaſi quidam Interreges inter Aurelianum & Probum: Alter VI. menſibus, alter vix II. imperarunt. Quibus duæ ſtatuæ marmoreæ Interamne in patrio ſolo locatæ fuerunt, ſed fulmine deiectæ,perierunt.

Pars huius monetæ aureæ continet statuam muliebrem galeatam, succinctam, pectore seminudo, dextra ramum oliuæ, sinistra telum tenentem, dextro pede globum calcantem, cum huiusmodi inscriptione: VIRTVS AVGVSTI.



AVRELIVS VALERIVS PROBVS è Syrmio Pannoniæ vrbe oriundus, ex patre Maximo Tribuno, matre nobiliore, mediocri patrimonio, moribus ac virtutibus clariorem se fecit. Valeriani iudicio, impubes ac imberbis adhuc, tribunatum adeptus est. Bello Sarmatico transmisso Danubio multa præclara aduersus hostes egit. Parentem Valeriani Valerium Flaccum è Quadorum manu liberauit, vnde à Valeriano corona ciuica donatus, & pro concione laudatus. Nec tantùm sub Valeriano & Decio, sed etiam sub Aureliano multa fortia gessit: adeò vt Decumanos exercitus, tanquàm fortissimos illi traderet Aurelianus, ac si scienti sibi contrarium quid eueniret, Probum principem faceret. Militibus etiam ita acceptus & gratus fuit, vt ab omnibus vnicè amaretur. Contra Marmaridas in Africa fortissimè pugnauit, non sine victoria. Carthaginem à rebellione vindicauit. In Aegypto multa præclara opera, quæ pluribus seculis durarunt, extruxit. In ciuitatibus Pontes, Templa, porticus, Basilicas, & id genus alia fecit. Contra Palmyrenos Aureliano fuit auxilio, vbi penè captus occubuisset. Resumptis viribus Aegyptum, & maximam Orientis partem, in Aureliani potestatem reduxit. Tacito cæso, inuitus ab omni Orientali exercitu Imperator est electus. Ac deinde speciosissimis titulis ornatus, à Senatu nomen Cæsaris, & Augusti, & Patris Patriæ, Proconsulare Imperium, cum Pontificatu Maximo recepit. Aureliani & Taciti percussores vindicauit. Gallias cum LX. ciuitatibus à Germanis occupatas recuperauit. Re-

ges

ges nomen ex diuersis gentibus ad pedes eius iacuerunt prostrati, obsidúmq; loco XVI. milia tyronum dederunt. Deinde in Thraciam veniens, Gothos ita terruit, vt illos aut in deditionē, aut in amicitiam reciperet. Ad Orientem conuersus, omnia compescuit. Saturninum diuersis prælijs, solitáque virtute superauit. In Galliis Proculum & Bonosum apud Agrippinam Imperatores oppressit. Vineas Galliis & Pannoniis habere permisit. Siciliam & Isauriam latrociniis purgauit. Romam reuersus, triumphum, multáque spectacula edidit. Ad bellum Persicum iter parans, à militibus, quos nimiùm agitaret, nec ociosos pateretur, dicens: Annonam gratuitam militem comedere non debere, iactansque milites non fore ampliùs necessarios, cùm iam penè totum mūdum Romanis subiecisset, apud Symium in turrim ferratam fugiens, est occisus, Anno Imperii VI. Cui ingens sepulcrum à militibus postea extructum est, cum tali inscriptione: HIC PROBVS IMPERATOR, ET VERE PROBVS SITVS EST VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

In hoc Numismate adparet currus triumphalis, circunquaque variè ornatus, qui à quatuor equis trahitur, cuius media pars tecta Solii figuram refert. In eo tecto alius currus paruus cum quatuor equis trahentibus adparet, cui Victoriola insidet, coronam Imperatori loricato & togato in curru stanti, laurúmque manibus ferenti, quasi impositura. Currum triumphalem præcedit Blemius quidam, in pectore oculos habens, & alii ferentes fercula, cum inscriptione: TRIVMPH. AETHIOP. Infrà: DE BLEMIIS.

De hoc triumpho hæc sunt verba Flauii Volpisci: Triumphauit de Germanis & Blemis omnium gentium ferocissimis, ac quingentos homines ante triumphum duxit. Venationem amplissimam in Circo dedit, ita vt populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ, per milites radicitus auulsæ, latè longéque trabibus affixæ sunt, terra deinde superiacta, totúsque Circus ad Syluæ speciem consitus, gratiam viroris prębuit. Immissi deinde per omnes aditus Struthiones mile, Cerui mile, Apri mile, Damæ & cætera animalia, quanta ali adinuenirique potuerunt. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit.





FIRMVS ex Seleucia oriundus, Zenobiæ amicus ac socius, Alexandriam Aegyptiorum incitatus furore peruasit, diues admodum cum Blemiis societatem maximam tenuit, & cum Sarracenis, naues quoq; ad Indos negotiatorias sæpe misit. Ad defendendas partes, quæ Zenobiæ superarant, contra Aurelianum Imperium assumpsit. Ab Aureliano Carris redeunti superatus est. Vir fuit statura ingenti, oculis foris eminentibus, capillo crispo, fronte vulnerata, vultu nigriore, reliqua parte corporis candidus, sed pilosus atque hispidus, ita vt eum plerique Cyclopem vocarent: neruis robustissimis, cibi auidissimus, viníque parcissimus.

Posterior Numi huius pars continet statuam muliebrem stolatam & lanceatam, temonem globo impositum dextra, sinistra cornucopiæ tenentem, cum inscriptione: FORTVNA AVGVSTI.

SATVRNINVM ex Galliis oriundum inter cæteros Duces, qui verè summus videbatur, Aurelianus limitis orientalis ducem constituerat, sapienter præcipiens, ne vnquàm Aegyptum videret. Qui contempto præcepto principis, Aegyptum intrauit, atq; Imperator salutatus Imperium arripuit. Probus verò Imperator sæpe ad eum misit literas, & veniam pollicitus est, sed milites, qui cum eo fuerant, non crediderunt. Obsessum igitur in castro, quidam ab iis quos Probus præmiserat, inuito Probo est iugulatus. Vir profectò magnæ literaturæ & summæ prudentiæ, quæ vel ex eius oratione cognoscitur, qua difficultatem imperandi copiosè enarrat, cùm vi ad Imperium raptus fuit. Alius autem est hic Saturninus ab eo, qui sub Galieno tyrannidem sibi vendicauit.

In hoc Numismate est statua mulieris loricatæ & paludatæ, dext

dextra telum, ſiniſtra demiſſa ſcutum ferentis, cum inſcriptione: IN PALESTINA.






PROCVLVS Liguſtici ſanguinis, Albingauni in Alpibus maritimis natus, latrociniis aſſuetus, domi nobilis, pecore ac ſeruis, & iis, quas abduxerat rebus, diues. Homo fortiſsimus, multis legionibus tribunus præfuit, fortiáque edidit facta. Cùm poſt honores militares, ſe improbè & libidinosè, tamen fortiter gereret, hortantibus Lugdunenſibus, qui ab Aureliano grauiſsimè vexabantur, Probum etiam pertimeſcebant, ad Imperium vocatus eſt ludo penè ac ioco. Nam cùm in quodam conuiuio, cum latrunculis luſitaret, ac decies exiſſet, ſtatim ſcurra quidã non ignobilis, Auguſtum ſalutauit, allatáque purpura (vt mos erat) humeros eius ornauit, eúmq; adorauit. Aſſumpto igitur Imperio Alemanos, non ſine gloriæ ſplendore, contriuit, nunquàm aliter, quàm latrunculi modo pugnans. A Probo cùm in Francorum auxilium venire vellet, à quibus ſe originem trahere dicebat, ipſis illum prodentibus, victus & interemptus eſt.

Poſterior Numi huius pars repræſentat Imperatorem loricatum, paludatum & galeatum, ſiniſtra ſignum militare ferentem, militibus concionantem, tali inſcriptione addita: FIDES MILITVM.

VITVRGIA, alio nomine SAMPSO Proculi vxor, virum ad Imperium aſſumendum incitauit, & ex marito filium Herennianum ſuſtulit.





BONOSVS patre Rhetore, & matre Gallicana in Britannia natus, licet eius maiores essent Hispani. Paruulus patrem amisit, à fortissima matre educatus, literarum ignarus, rei militaris peritissimus. Militauit primùm inter ordines, deinde inter equites. Duxit ordines, Tribunatus egit. Dux limitis Rhetici fuit. Homo intempestiuæ luxuriæ, bibit quantum hominum nemo, adeò vt Aurelianus sæpe diceret, NATVS NON VT VIVAT, SED VT BIBAT. Ingurgitabat enim se ille perpetuo vini haustu, veretróq; exonerabat. Legatos Barbarorum vino inebriauit, vt ab iis per vinum cuncta secreta edisceret, ipse quantumlibet bibisset, semper sobrius, ac in vino prudentior. Hic cùm quodam tempore Romanas delicias Germani incendissent, timore ne pœnas daret, Imperium arripuit, idque diutius tenuit, quàm rebatur. A Probo tamen victus & superatus, collum laqueo implicuit. Atque hinc dictum haud infacetè: NON HOMINEM, SED AMPHORAM PENDERE. Filios reliquit duos, quibus pepercit Probus, eius vxore quoque in honore habita, & vsque ad mortem salario præstito.

In monetæ huius facie altera adparet Imperator paludatus, & loricatus, scutis insidens, dextra ramum oliuæ, sinistra telum ferens. Ante eum statua muliebris stolata, corona murali ornata, illi globum offerens. A tergo eius Victoria alata, coronam lauream ei imponens, cum inscriptione: GERMANIA PERPET.

GALLA mulier fortissima Britannum Rhetorem, vel pedagôgum literarum maritum habuit, cui Bonosum Imperatorem peperit.

M. AVR





M. AVREL. CARVS, Narbonæ genitus,ſecundum quoſdam, Romæ, ibique bonis literis educatus, per militares gradus ita creuit, vt Præfectus prætorio à Probo crearetur, à quo plurimùm amatus fuit,equeſtrique ſtatua,domo marmorea, aliiſque plurimis muneribus donatus, & ad ſummos honores euectus. Interfecto Probo,militum amore Imperator creatus eſt. Imperii molem vbi ſubiit,ſeuerisſimè in Probi percuſſores animaduertit, eóſque acerrimè puniuit. Bellum Perſicum,quod Probus parauerat, omni belli apparatu eſt aggreſſus,liberis ſuis Carino, & Numeriano prius Cæſaribus nuncupatis.E quibus Carinum ad Gallias tuendas miſit, recepto ſecum Numeriano.Confecto priùs bello Sarmatico in Pannonia,quam Sarmatæ vaſtabant, minantes ſe in Italiam irrupturos, occiſis ſedecim milibus, captis diuerſi ſexus viginti milibus inter eundum ad Perſas,cum totis Probi viribus, recepta Meſopotamia, Cteſiphontem peruenit. Ibi cùm domeſtica laborarent ſeditione Perſæ, Imperatoris Perſici emeruit nomen: cúmque auidus gloriæ, longius eſſet progreſſus,morbo,vel fulminis ictu, cælo turbido & coruſcante,interiit.

In hoc adparet Numiſmate ſtatua Imperatoris equeſtris loricata & paludata,quam præcedit alia ſtatua muliebris galea criſtata,veſtéq; ſuccincta,ſiniſtra clypeum, dextra telum ferens. Imperatorem verò ſequuntur milites ſcutati,& galeati cum ſignis militaribus. Inſcriptio: EXERCITVS PERSICVS.

NVMERIANVS Cari Imperatoris filius,optimis præditus moribus,& verè dignus Imperio, eloquentia tantus,vt ei ſtatua à Senatu,non tanquàm Cæſari, ſed vt Rhetori ponenda decerneretur in

bibliotheca Vlpia, cum tali inſcriptione: NVMERIANO CAESARI, ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO. Verſibus etiam inſignis fuit, vt omnes ſui temporis Poëtas, facilè antecelleret, geſtáque parentis Iambis deſcriberet. Hic comes patris in bello Perſico fuit, & nimio fletu ob paternam necem, ſibi oculos corrupit. Cúmque ei aër multùm obeſſet, lectica occluſa ferebatur, ac factione Apri ſoceri ſui, qui Imperium conabatur inuadere, eſt occiſus. Et cùm per plurimos dies, à multis de Imperatoris ſalute quæreretur, atque Aper illum non videri poſſe aſſereret, quòd ob oculos ęgros à vento, & Sole ſe ſubſtraheret, fœtore tamen cadaueris prodita mors eſt, nec manſit inulta. Nam Aper in concione à Diocletiano, cùm Imperator eſſet factus, confoſſus eſt. Sic modeſtus & frugi iuuenis Numerianus, cui Mars in armis familiare numen præbuit, Minerua peculiariùs adfuit, & cytharam præbuit Apollo, miſerè ab impio Apro præfecto Prætor. interfectus eſt.

In hoc Numiſmate continetur ſtatua Herculis, nuda comata & barbata, leonis pelle circundata, ſiniſtro latere clauæ incumbens, dextram in femore poſitam habens, adiecta inſcriptione: VIRTVS AVG.





CARINVS, alter Cari filius, homo contaminatiſsimus, adulter, frequens corruptor iuuentutis fuit. Huic cùm à patre contra Perſas proficiſcente, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, & totus ferè occidens, cum Illyrico atque Italia traditus eſſet, enormibus vitiis, & ingenti fœditate ſe maculauit, optimos quoſque amicos relegans, peſsimos ſibi adſciſcens. Cancellarium ſuum hominem impurum vrbi præfecit. Præfectum prętorio occidit. Notarium ſtuprorum & libidinum conſcium, inuito patre conſulem fecit. Eum pater, niſi morte præuentus, ob

ob nimiam libidinem è medio tollere, eíque Cæsaris nomen cum Imperio abrogare decreuerat. Vbi verò Patris & fratris intellexit interitum, liberiùs se omnibus immersit vitiis. Senatorios viros, ac Magistratus libidinum suorum ministeriis deturpans, vxores ducendo & reiiciendo nouem duxit, pulsis plerisq; prægnantibus: mimis, meretricibus, pantomimis, cantoribus, atque lenonibus palatium impleuit, plurimúmque illis detulit. Vbi audiuit Diocletianum ab exercitu in Perside Imperatorem electum, cum exercitu contra eum progressus, & multis tandem præliis apud Mergam in Dalmatia victus, occubuit.

In huius posteriore Numi parte adparent signa religionis, cum inscriptione: PIETAS AVG.

Refert Aurelius, Sabinum Iulianum inuasisse Imperium, & à Carino in campis Veronensibus occisum.



DIOCLETIANVS ex Dalmatia, vtroque parente obscuro & ignobili, patre scriba & liberto Amillini Senatoris, matre Dioclea natus, à pueritia militare cœpit, ac gregarius miles in Gallia augurium futuri Imperii accepit. Dehinc successu dignitatum interfecto Apro, ab exercitu Imperator creatus, profligato ac præliis victo Carino Augustus est appellatus, & à Senatu magno honore exceptus. Cùm autem in diuersis mundi partibus insignes excitarentur tumultus, pluréſque vndique insurgerent Tyranni in Galliis, Britannia, Aegypto, atque Italia, Diocletianus, ceu vir prudens, animaduertens consorte Imperii opus esse, Maximianum legit, mox Galerium Maximinum, & Constantium Cæsares fecit. Tantáque fuit in gu-

bernanda Repub. inter eos concordia, vt alter alteri, nunquam repugnauerit, Diocletianúsque se Iouium, Maximianus Herculeum vocari passi sint. Deinde Diocletianus in Aegypto contra Achilleum, qui se Imperatorem fecerat, strenuè pugnans, eum superauit, ac interfecit, totámque Aegyptum pacauit. Deinde in Oriente plurimas nactus victorias, maximus est ei à Senatu triumphus decretus, cum inclytis cognominibus populorum à se deuictorum. Quibus non contentus, diuinos sibi vsurpauit honores, veluti cælestis in eo esset maiestas, voluítque adorari, more regum Persarum, Pedésque exosculandos omnibus sine generis discrimine exhibuit, ídque edicto sanxit. Aureo quoque & gemmato curru triumphauit, splendidiùs multò, quàm veterum quispiam. Senio confectus, decreuit se Imperio abdicare, & priuatus viuere, quod & fecit Nicomediæ, quo die & Maximianus Mediolani deposuit Imperiales fasces, ac imperauit x x. annis. Post depositum Imperium, mansit priuatus Salonis, rei rusticæ indulgens, annis x. Sed cùm à Constantino & Licinio vocaretur ad festa nuptiarum Constantię, excusans per senectutem minimè licere, atque Imperatores minacibus literis, se excusationem non admittere, rescripsissent, suspectans necem dedecorosam, quòd fauisset Maxentio ac Maximino, venenum sumpsisse fertur, atque ita occubuisse, Anno ætatis L X X V I I I. ac deinde à Senatu inter diuos relatus. Vir sagacis ingenii, acríque iudicii, in Christianos crudelissimus, & valde impius, & crudelis, quorum multa milia interfici iussit.

In hoc Numismate adparet Diocletianus & Maximianus curruí ex auro & pretiosis lapillis, quíque quatuor equis trahitur, sellis curulibus ornatis gemmis, insidentes. Quorum capitibus imminebant victoriæ alatæ duæ, coronas ex Lauro Imperatoribus imponentes. Currum præcedunt milites fercula ferentes, addita inscriptione huiusmodi: TRIVMP. DE ORIENT. MAX.

Triumphus autem talis fuit: Præferebantur in vehiculis tabulæ, signa, colossi, hostium galeæ, thoraces, ocreæ; peltæ, scuta, vexilla, pharetræ, tela, arcus, enses, fræna & equorum picturata strata, opes, tapetes, & quę pretiosa & digna spectaculis, deuictis hostibus, allata erant: & modò ex Oriente, vtputa Assyriis, ac Persis, tentoria, & ex Babylonico opere multo. Pòst ingens hominum grex, qui in vasis ferebant aurum

aurum argentúmq; & purum & ſignatum. Singula vaſa validi iuuenes humeris ferebant. Poſt argentei crateres, pelues, phialæ, calices, veſtes, & tota regia ſupellex, & vaſa ex ſolidis gemmis. Hinc ferculorum multitudo, & hos ſequebantur tubicines bellicum clangorem intonantes, deinde boues auratis cornibus, quorum medios vittę cingebant, necnon & frontibus vittatos ad ſacrificium ſuccincti Popæ, hoc eſt miniſtri agebant. Sequebantur & alii miniſtri cum argenteis patinis: regia dehinc proles, vxores, & nati, & ſorores cum pincernis ſeruiſque ac nutricibus, & pleraque Perſarum nobilitate patrio more veſtiti omnes, ſed palliati. Spectantium oculos etſi hic impleuit numerus, tamen lætiores reddidere tabulæ duæ: Altera ipſam Perſida oſtendens ſuppliciter tollentem manus, & exorantem à P. R. gentium victore, veniam: Altera Narſen regem fugientem conſpiciendum præbebat. Poſt ingens captiuorum turba ſatis mœſta, in qua fuerunt Scytharum & variarum gentium duces, qui lacrymas effundebant. Præferebantur aureæ coronæ, & munera victori dono data. Propius currum præcedebant homines ſtipitibus ſudibúſque accenſis, qui turbam ſubmouerent. Pòſt triumphantium currus, ex auro & lapillis pretioſis, quem trahebant quatuor equi, candore certantes cum niue. In quo ſellæ curules duæ ornatæ gemmis, in quibus ſedebant principes terrarum. Triumphantium capitibus imminebant victoriæ alatę. Diocletianus fuit vna corona ex Lauro contentus ſimili & collega: Reges verò Perſarum Tiaram, qua vtebantur, tribus coronis exornabant. Currum ſequebantur captiuitate liberati, raſo capite & pileati, deinde equites laureati.



DIOCLEA Diocletiani Imperatoris mater. Ab hac filius, ante Imperium Diocles vocatus.



Numiſma ex ære Diocletiani, cuius poſterior facies repræſentat globum, qui à leone procumbente ſceptrúmque ferente, & aquila pedib' s fulmen, alis ſceptrum tenente ſuſtentatur. Supra globum duæ manus coniunctæ adparent, cum tali inſcriptione: CONCORDIA PERPETVA. Infrà ſubſcriptum: IMP. AVGG. NN.





NARSEVS Rex Perſarum,. Vareani ſecundi filius, & Varracis nepos, ſub Diocletiano Armeniam, & Meſopotamiam bello laceſſebat, pluribus Regibus Sironitarum, & Alanorum, multiſq; ducibus propinquis in auxilium vocatis. Contra eum miſſus Galerius: primum æquo marte pugnatum eſt. Vnde Galerius animoſior factus, dum contra tantam multitudinem inconſultiùs progrederetur, haud longè à Carris omnem penè amiſit exercitum. Sed collecto iterum exercitu, reperto hoſte in maiore Armenia, caſtra noctu hoſtilia ex improuiſo xx. milibus equitum adortus, Perſarum multitudinem felici pugna ſtrauit, fugato Narſeo, pellicibúſq; cum gaza omni regia captis.

In hoc aureo numo eſt ſtatua loricata, & paludata, in ſuggeſtu ſtans, concionatura militibus, cum inſcriptione: EXERCITVS PERSICVS.

ACHIL

ACHILLEVS in Aegypto Imperatorem se fecerat, contra quem Diocletianus profectus, Alexandriæ obsessum, feris dilaniandum obiecit.

In huius argenteæ monetæ parte altera continetur statua mulie-bris in sella sedens, vtraque manu signa militaria tenens cum inscri-ptione tali: FIDES MILIT.



CERAVSIVS, qui ab aliis CRAVSSIVS appellatur, homo familiæ sordidæ, sed ingenio manúque promptus, ac rei militaris peritissimus fuit. Imò à militia strenua nomen & famam assecutus haud vulgarem. Cùm apud Bonnam tractum Belgicæ, pacandum mare susceperat, & obseruanda Oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infestabant, ac insolentiùs se gereret, nec prædas à Barbaris ablatas, aut prouincialibus restitueret, aut Imperatoribus mitteret, nec etiam Barbaris interciperet iter, contentus præda ac spoliis ditari, iussus à Maximiano occidi, sumpta purpura intrauit Britanniam, vbi frustra cum illo bella cepta sunt. VII. autem anno ab Alecto socio est interemptus, qui etiam triennio occupatis Britanniis, ab Asclopiodoto Præfecto præto. est superatus.

Hoc Numisma argenteum in posteriore parte habet statuam muliebrem stolatam, globo insidentem, dextra sceptrum, sinistra Cornucopiæ tenentem, cum inscriptione:

GALLIA.



M. AVRELIVS VALERIANVS MAXIMIANVS cognomento Herculeus, vir natura ferus & immitis, ardens libidine, vtpote, qui cum duabus sororibus rem habuisse fertur, consiliis stolidus, ciuilitatis expers, ortu agresti, ferox natura, Cæsar Augustus à Diocletiano dictus, probè se ei submisit, atque in omnibus obtemperauit. Tumultus in Galliis, quem Amandus & Aelianus excitauerant, sub specie tyrannidis cum tota factione Baigadarum mira celeritate compressit, statímq; deleuit. In Africa Gentianos deuicit, qui vix impetrauere pacem. Pullulantibus per varia loca bellis, Constantium hic, Galerium Maximinum Diocletianus sibi adoptauerunt, ac affinitate sibi iunxerunt. Rebus vndique compositis, cum Diocletiano Mediolani Imperium abdicauit: sed paulò pòst plurimùm pœnituit. Nam audiens filium suum Maxentium à Prætorianis militibus electum, è Lucania, in qua sedem priuatus elegerat, circa amœnissimos agros, spe resumendi Imperium motus, ad Vrbem se contulit, simulans filio fore auxilio. Vnde milites indignati, tumultum excitarunt, quòd talia tentare esset ausus. Sed ille se excusauit, dicens se huiusmodi simulasse, tentaturus num à militibus filius diligeretur. Inde in Gallias profectus ad generum Constantinum insidias ei parauit, vt eum Imperio deturbaret. Sed per Faustam vxorem, quæ patri maritum prætulit, detectæ sunt. Quem Constantinus apud Massiliam obsessum viuum cepit, eiúsque iussu fractis laqueo ceruicibus, occubuit. Talem exitum meruit sanguinarius, & cruentissimus Imperator in Christianos, cùm annos XX. regnasset, ætate sexagenarius: qui alioqui plures titulos victoriarum habuit, vt in fractis marmoribus Romæ conspicitur, in hanc scilicet formam: M. AVR. VAL. MAXIMIANO INVICTO AVG. PONT. MAX. SARMATIC. MAX. GOT. MAX. IMP. VIII. COSS.

COSS. III. PP. PROCOSS.

In æreo hoc Numiſmate adparet ara,cui ignis eſt iniectus. Vtriq; aræ lateri Diocletianus & Maximianus paludati aſsiſtunt, ſiniſtris globum tenentes,dextris eleuatis iurare vidētur. Inter quos ad aram ſtat ſtatua Concordiæ velata coniungens ambos. A tergo cuiuſque Victoriola alata coronas Imperatoribus imponens,cernitur,cum huiuſmodi inſcriptione: IMPP. NN. AVGVST. ſubſcriptum vero: FIDES EXERCIT.





EVTROPIA Maximiani Imperatoris vxor, ex quo Maxentium Imperatorem & Fauſtam,quæ Conſtantio nupſit,ſuſtulit.


FAVSTA Valerii Maximiani Herculei ex Eutropia filia, quam pater Conſtantino Imperatori in vxorem tradidit.



FLAVIVS VALERIVS CONSTANTIVS CHLORVS, ex patre Eutropio,Romanæ gentis nobiliſsimo, & matre Claudia, Claudii Auguſti filia, genitus, à Maximiano & Diocletiano cum Maximino in Imperio adopta-

tus eſt. Cùm ſeniores Auguſti Imperium abdicaſſent, Romanúſque orbis inter hos eſſet, ac Conſtantino Galliæ, Hiſpaniæ, Italia cum tota Africa cederēt, Africæ & Italiæ adminiſtrationem recuſans, quod exiſtimabat ab vno tantum pondus minimè ſuſtineri poſſe, Galliis contentus, illis diligentiſsimè præfuit. Eóque regnante in Hiſpaniis, in Galliis & Alpibus nulli motus fuere, atque hoſtes populi Rom. ab armis ceſſauere. Anno verò Imperii XIII. Eboraci morte conſumptus, occubuit, relictis liberis ex Helena Conſtantino magno, ex Theodora verò Maximiani priuigna Amiaballiano, Conſtantio patre Iuliani, ac Conſtantia Licinii Imperatoris vxore. Vir pius & Chriſti cultor maximus, Chriſtianis Conſulibus in rebus agendis ſemper vſus, & cui præ cæteris religio Chriſtiana cordi fuit, & idola odio & abominationi. Natura etiam mitiſsimus, diuitiarum ſpretor, modici cultus, ita vt à fictilibus non abhorreret: tantæ etiam modeſtiæ, vt facilem & amabilem cunctis ſe præberet, vnde plurimum diligebatur. Chlorus cognomento quaſi viridis, à colore dictus eſt.

In Numiſmate hoc æreo adparet Imperator loricatus & paludatus, galea criſtata ornatus, dextro genu equo proſtrato innitens, ſiniſtra manu clypeum, dextra telum ferens, quo captiuum equo deiectum, & iam humi ſupplicem iacentem petenti veniam ſimilem, confodit, cum inſcriptione: FEL. Infrà ſubſcriptum: CON.



EVTROPIVS vir potens inter Dardanos, Conſtantini pater.

CLAVDIA CONSTANTIA filia Criſpi fratris Flauii Claudii Imperatoris, non filia Claudii, quia ſobole caruit, & mater Conſtantii.

THEOD



THEODORAM priuignam Maximiani, vxorem habuit Constantius, ex qua liberos suscepit Amiaballianum, Constantium Iuliani Principis, & Galli patrem, & Constantiam Licinii Imperatoris vxorem.



GALERIVS MAXIMINVS, ortus parentibus agrariis in Dacia ripensi, pastor ouium, vnde & illi cognomen Armentarius, militia præstans, à Diocletiano adoptatus, & Cæsar factus, tradita ei filia Valeria, ad Orientem pacandum, contra Narseum missus est. Vbi primùm infeliciter, deinde fortissimè & prosperè pugnauit. Augustus factus, duos sibi adoptauit Cæsares Seuerum & Maximinum. Mortuo Seuero consortem Imperii Licinium fecit, ac contra Maxentium Romam profectus est. Sed militum defectione cognita in Illyriam rediit, ac ob sæuam in cunctos libidinem & in Christianos horrendam crudelitatem, in morbum incidit, & vlcere inguinibus innato, vermibus vndique erumpentibus, frustra medicis medicamina adhibentibus, fœdissimo, sed tamen digno exitu, periit, cùm solus regnasset annos II. cum Cæsaribus, & Imperii consorte annos XVI. Homo sanguinarius & crudelissimus, simula-

crorúmque cultui vſque ad ſuperſtitionem deditus fuit, nihil ſine auguriis & diuinationibus agens, deliciis & luxu ad inſaniam vſque diffluens, matronis caſtiſsimíſque virginibus inſidias vndique locans, nec vrbem aliquam ſine adulteriis, & virginum ſtupris incontaminatam relinquens.

Aureus hic Numus ex altera parte habet ædificium ſphæricum quadratis & rudibus lapidibus extructum: in cuius ſuperficie turres exiguæ altitudinis rotundis globis impoſitis adparent. In medio eius ianua eſt aperta, in qua loco inferiore ara rotundæ figuræ, cui ignis eſt impoſitus, eminentiori verò loco ſtella videtur. Aræ aſsiſtunt duo Imperatores loricati, paludati, laureáque ornati, ſiniſtris manibus ſchedas gerentes, dextras in ara iungentes, & à cuiuſque tergo Tribunus militum conſpicitur, cum inſcriptione: FIDES MILITVM.



VALERIA Diocletiani filia, quam pater poſt adoptatum ſibi Galerium Maximinum, eidem in vxorem tradidit.





SEVERVS, Poſtquàm Conſtantinus Italiam & Africam reliquit, à Galerio Maximino addito collega Maximiano, Cæſar & Auguſt

Augustus dictus est, atq; Italiæ & Africæ Præfectus. Sed cùm Maxentius in Vrbe à prætorianis Imperator creatus, ac contra eum Seuerus cum exercitu profectus esset, viribus impar, fugere coactus, Rauennæ captus, & cæsus est, Anno Imperii II.

In huius monetæ æreæ facie posteriore continentur duæ statuæ Imperatorum loricatorum & paludatorum dextris globum tenentium, cui Victoriola alata insistit: alteri ad dextram stanti, & schedam sinistra tenenti, coronam lauream impositura. Statua verò altera Imperatoris ad sinistram stans, hastam sinistra manu tenet. sub globo inter vtranque statuam B. litera videtur. Inscriptio talis legitur: CONCORDIA MILITVM. Infrà scriptum: ALE.

MAXIMIANVS verò nomine DAZA dictus, ex sorore Galerii Armentarii progenitus, ab eodem cum Seuero adoptatus, & Orienti Præfectus, Cæsar quadriennio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit: ortu quidem atque instituto pastorali, cæterùm sapientissimi cuiusque cultor, amator literarum, ingenio quieto: sed fuit vini auidior, vnde nonnunquàm ebrius, quędā iubebat asperius, deinceps in sobrium tempus ac natiuum omnia distulit, ignorans se quæ anteà iusserat, præcepisse. In Oriente contra Christianos maximè desæuit, licet priùs, quàm se Augustum, vi & arrogantia inflatus aduersus Constantinum & Licinium extolleret, simulata humanitate Christianis parceret. Sed cùm aduersus Licinium res nouas in oriente moliretur, rupto fœdere, cum filiis, quos iam socios Imperii assumpserat, oppressus est. Nam & exercitus eius ferro concidit, & qui superfuerunt eo relicto, aliis se dediderunt. Ipse abiectis Imperii insignibus, fugitiuus se turbis colonorū immiscens, in agris latuit, & ne viuus caperetur, se strangulauit Tarsi, cùm imperasset annos VII.

Numisma hoc aureum refert statuam virilem, barbatam, caput corona turrita ornatam, pectore & brachiis nudis, sinistra Cornucopiæ ferentem, dextra patinam in ara sacrificantem. Ad cuius sinistrum latus litera N est posita, cum tali inscriptione: GLORIA POPVLI ROMANI. Subscriptum: . P. L. C.



MAXENTIVS Maximiani Herculei ex Eutropia Syra filius, quem alii arte muliebri ſuppoſitum ferunt, quo charior eſſet marito prolem cupienti. Hic à Prætorianis, non abnuente Senatu, Imperator dictus, Seuerum, qui aduerſus ſe exercitum ductabat, circa Rauennam interfecit. Imperium, non vt Auguſtus, ſed vt Tyrannus exercuit, Prætorianis eum ad omnem ſæuitiam impellentibus. Aſperitate ſimilis Maximiano patri, ſæuitia Domitiano & Commodo, pleroſque claros viros occidit, bona diripuit, noua vectigalia inuenit, in occidendo, & omni via exigendo pecunias inexorabilis fuit, mulieribus ſtuprandis illi libido inextinguibilis. A Conſtantino magno, qui contra eum in auxilium à Senatu vocatus venerat, circa pontem Miluium ſuperatus eſt, abſorptúſque in gurgitibus. Nunquàm cadauer eius poſteà inuentum. Sic libidinis, & omnis ſæuitiæ ergaſtulum Maxentius, periit crudeliſsimè, ſed digniſsimè Imperii ſui anno VI.

Habet Numus hic æreus ex altera parte victoriam alatam; ſeminudam, ſiniſtro pede thoracem calcantem, manu ſiniſtra clypeum genu impoſitum tenentem, dextra hos characteres ſcribere videtur: VOT. XX. FEL. Ad pedes illius humi iacet captiuus, nudus, religatis ad tergum manibus, cum inſcriptione: VICTORIA AETERNA AVG. N. Infrà verò ſubſcriptum: HCSTS.

LIC





LICINIVS LICINIANVS in Dacia parentibus agricolis natus, ab iis puer enutritus, extrema pueritia militauit, promotúſque tribunus militum, bello contra Narſem optimè ſe geſsit, ob id Galerio Maximino gratus, & Seuero mortuo Imperii conſors factus Auguſtuſque appellatus eſt. Et primò Illyriis præfuit, poſteà in Orientem miſſus Maximianum fudit ac fugauit. Qua victoria elatus ſuperbire cœpit, & Conſtantinum contemnere, Chriſtianorum Deum irridere, in Chriſtianos omnes deſæuire, pleriſque clariſsimis ac ſanctiſsimis viris in vincula coniectis ac atrociſsimè necatis, pleriſque in exilium relegatis, quorum vxores ſatellitibus in matrimonium conceſsit. Iure igitur contra eum Conſtantinus Gallicanas & Italicas vires, non prohibente affinitate, expertus eſt, ac primò in Pannoniæ campis eum fudit: mox reparantem vires incredibili celeritate ex Europa in Aſiam expulit, maléque reconciliata iterum gratia, per Conſtantiam vxorem Licinii ſororem Conſtantini cùm rebelles animos homo vecors retineret, Theſſalonicæ à militibus eſt interfectus, Anno ætatis LX. Imperii XIIII. Homo admodum aſper, & vitio auaritiæ & libidinis haud mediocriter deditus, literis ob inſcitiam adeò infenſus, VT VENENVM ET PESTEM REIP. NOMINARET. Oratores & Philoſophos ſummo odio mirificè inſectatus: Chriſtianis infeſtiſsimus, vnde illi diſcordiarum ſemina aduerſus Conſtantium acriora nata ſunt. Vxorem habuit Conſtantiam ſororem Conſtantini Imperatoris, filiam Conſtantii ex Theodora, ex qua genuit Licinium iuniorem, & Anabalianum patrem Dalmatii Cæſaris.

In monetæ huius aureæ parte altera, continetur ſtatua Iouis nuda, pallio de collo pendente, ſiniſtra haſtam, dextra globum tenens,

 in

in quo victoria alata imposita, sinistra ramum palmæ, dextra coronam lauream fert. A dextro eius statuæ latere, ad pedes aquila alis expansis,& à sinistro captiuus, vinctis manibus adparet, supra quem characteres hi notati X I I I. Inscriptio talis est addita: IOVI CONSERVATORI. Et inferiùs subscriptum legitur: SVNG.

LICINIVS IVNIOR, Licinii Imperatoris, & Constantiæ sororis Constantini Magni filius, Quem Constantinus mensium ferè XX. Cæsarem fecit, egregius iuuenis,& optimæ indolis, insidiis Faustæ, ne peritia in militando filiis obesset, occubuit.

Numisma hoc æreum habet Apollinis statuam pallio à tergo pendente, ornatam corona radiata, dextra eleuata, sinistra globum gerentem. A dextro eius latere litera R, sinistro F, conspicitur, huiusmodi inscriptione adiecta, SOLI INVICTO COMITI. Infrà: N Q.



CONSTANTIA Constantini Imperatoris ex Theodora filia, soror Constantini magni, Licinii Imperatoris vxor, ex qua genuit Licinium iuniorem & Anaballianum patrem Dalmatii Imperatoris.



CONSTANTINVS MAGNVS in Britanniis

tanniis patre Constantio Pio, matre Helena genitus, puer optimis imbutus literis, extrema pueritia in re militari in Oriente sub Gallieno Maximiano egit: à quo adolescens contra Sarmatas, ingenti cum exercitu missus, vltra ætatem, & plus, quàm permitterent anni, hostes non solùm profligauit, sed etiam ducem Sarmatarum catenatum Galerio adduxit. Propter eas virtutes Galerio suspectus, insidias fugiens, ad patrem peruenit. Eóque mortuo regnum Galliarum, Hispaniarúmque & Cottiarum Alpium sibi testamento relictum, accepit Cæsar, quod triennio summa cum laude rexit, deditißimos & obsequiosißimos habens milites. Italiam ab iis, qui Tyrannidem Maxentii ferre non poterant, accersitus, cum parte copiarum petiit, & Maxentium auspicio fulgidæ crucis superauit, totámque biennio Italiam, vrbémq; Romanam pristinæ maiestati asseruit. Vnde primus Romanorum principum cognomen MAGNI meruit, eíque arcus marmoreus, triumphis insignis, à Senatu positus, cum huiusmodi inscriptione: S. P. Q. R. IMP. CAES. II. CONSTANTINO AVG. QVI INSTINCTV DIVINITATIS, ET ANIMI MAGNITVDINE, VNO TEMPORE, ET TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE IVSTIS REMP. VLTVS EST ARMIS. Inde abnegato idolorum cultu, Christianam puritatem amplexus est, Christum ab omnibus colendum præcepit, templáque illi erexit, Christianos Vrbis gubernationibus præfecit, nec alia magis causa acriùs in Licinium Imperatorem & affinem exarsit, quàm quòd ille aduersaretur Christianis, eósque crudelißimis suppliciis afficeret. Quem persecutus in Græcia apprehendit, & interfecit. Bella contra Barbaros multa fortißimè confecit, semper prospera vsus fortuna. Obtento itaque totius Romani Imperii regimine, ablegatis curis, animo securus, à bellis ad pacis studia conuersus, optimum principem egit. Leges sanctißimas tulit, literis & ipse semper impensè studuit, eísque fouit. Nicænam Synodum CCC. & XXII. patrum multis dißidentibus indixit, Bizantium instaurauit, & suo nomine Constantinopolim denominauit, eóque Imperium transtulit. Lauacrum baptismatis in extremum vsque tempus distulit, fortè quòd iturus contra Persas, volebat in Iordane baptizari, Christum imitaturus. Senex, Persis Mesopotamiam diripientibus bellum indixit, ac copiis coactis ipse Sotiropolim vrbem petiit, vt aquis calidis senile corpus foueret. Et priùs, quàm se

ablueret, à medicis pharmacum datum, quod à ministris veneno corruptum erat, intrepidus ebibit, ac paulò pòst in morbum incidit, quo & tandem extinctus est. Corpus eius Constãtinopolim regali pompa, comitante filio Constantino deductum, & ibidem in templo XII. Apostolorum cum matre sepultum, Anno ætatis LXVI. Imperii XXXII. minùs mensibus duobus, relictis filiis tribus, Constantino, Constante, & Constantio.

Aureum hoc Numisma fuit magnitudine, quali adparet, in cuius posteriore parte Imperator loricatus & paludatus, thoraci insidens, statua muliebri globum offerenti, in quo victoriola est alata, dextra coronam lauream, sinistra ramum palmæ tenens. A tergo verò Imperatoris alia victoria alata adparet, Imperatori coronam imponens, cum inscriptione: SALVS ET SPES REIPVBLICAE. Infrà: SMHER.



In hoc priore Numismate ex parte altera, imago Constantini Magni adparet.





Numisma alterum æreum Constantinus Romę excudit, in altero latere habens lupam infantes Romulum & Remum lactantem,

cósque

eóſque lambentem: ſupra eam duæ ſtellæ videntur. Hæ literæ infrà ſubſcriptæ: A F Q.

Tertius Numus æreus, Conſtantinopoli excuſus, continet victoriam alatam, dextra telum, ſiniſtra clypeum gerentem, pede dextro roſtrum nauis calcantem, his characteribus ſubſcriptis: C O N S Z.



HELENA Coël Regis Angliæ filia, vel, vt alii volunt, humili loco inter Britannos nata, vxor Conſtantii, ex qua Conſtantium Magnum genuit, coactus autem repudiare eam, vt Thedoram Herculei priuignam duceret, Mulier ſanctiſsima, & religioni Chriſtianæ maximè dedita, filio nondum baptizato, Chriſtiana facta, filium Conſtantium ad Chriſti religionem, maximis quibus potuit precibus, attrahere eſt conata, Sanctam Crucem in locis abditis inuenit. Octogenaria diem obiit, & Conſtantinopoli in templo XII. Apoſtolorum in ſepulcro, quod Conſtantinus ſibi, poſteriſq; ſuis extruxit, ſepulta.

Latus alterum cõtinet muliebrẽ ſtatuam, dextra Lauri ramum ferentem, in ſiniſtra quid habuerit, ob vetuſtatem cognoſci nõ potuit.





MINERVINA Conſtantini magni prior vxor, & Criſpi Cæſaris mater, quam Conſtantinus valde dilexit.

FAVSTA, Conſtantini Magni altera coniux, ex qua quinque liberos, Conſtantinum II. Conſtantium, & Conſtantem, filias Helenam, & Conſtantiam procreauit. Cuius fraude Criſpus priuignus interfectus eſt. Sed poſt aliquot annos cognita cauſa à Conſtantino, quem Helena mater ardore nimio Nepotis increparat, in balneas ardentes coniecta, necata eſt.



CRISPVM ex Mineruina filium Conſtantinus pater adhuc priuatus Cęſarem fecit. Eum Fauſta deperibat, & ad libidinem ſæpius tentauit, renuentémque apud maritum detulit, illum ſibi voluiſſe vim inferre, cui Conſtantinus fidem habens, Criſpum ad Polam Hiſtriæ interficere iuſsit.

In hoc æreo Numo currus à quatuor equis tractus, cum nubibus adparet, in quo ſedet ſtatua Apollinis corona ex radiis ornata, dextra flagellum, ſiniſtra coronam Lauream tenens, cum inſcriptione: SOLI INVICTO.





Poſt mortem patris Conſtantini Magni, Imperium ad tres filios CONSTANTINVM, CONSTANTEM & CONSTANTIVM ad

ad Dalmatũ peruenit. Ac diuiſione facta Conſtãtino Galliæ, Hiſpaniæ, Alpes, Cottiæ, Britanniæ, ceſſerunt. Qua non contentus ob Italiæ Africæq; ius, cum Conſtante diſſentire cœpit, Legatóſque de noua facienda diuiſione, miſit. Cùm autem minimè proficeret longis querimoniis, ſuis viribus fretus, rem armis exequi ſtatuit, ac bellum ciuile contra ius, fratri mouens, regiones, eo abſente, depopulatus eſt. Et iam ad Aquileam peruenerat, vbi primùm miſſos à fratre milites, vt conatum eius repellerent, excepit, & incautiùs fœdéque temulentus cum illis congreſſus, cùm equus principis ictus vulnere ſeſſorem deieciſſet, à militibus circunuentus, humi iacens ſine purpura incognitus, multis ictibus confoſſus & obtruncatus eſt, ac in fluuium, cui nomen Alſa, haud longè ab Aquileia, proiectus, Aetatis anno XXV. Imperii triennio nondum finito.

In hoc Numiſmate duæ ſtatuæ loricatæ, paludatæ, galeis criſtatis impoſitis, adparent, quæ ad dexteram ſtat, demiſſa ſiniſtra clypeum, dextra haſtam fert. Quæ verò ad dextram conſiſtit, dextra manu clypeum, ſiniſtra haſtam tenet. Inter vtranque ſignum militare eſt poſitum, cui appenſum labarum, in quo hoc ſignum videtur, cum inſcriptione: GLORIA EXERCITVS. Infrà: H. S I S.

DALMATIVS Anaballiani Conſtantini Magni fratris filius, Cęſar & hęres vnà cum filiis à patruo inſtitutus, in Oriente imperauit, in omni actione patruo, quàm patri ſimilior, vnde & virtus illi obfuit. Nam vix tertium Imperii adimpleuit annum, cùm factione Conſtantii patruelis eſt interfectus, ſeditione militari, Conſtantio diſsimulante.

Argentea hæc moneta ex altero latere continet ſtatuam Apollinis nudam, corona ad radiorum ſimilitudinem compoſita, ornatam: dextra globum, ſiniſtra flagellum ferentem, addita inſcriptione huiuſmodi: SOLI INVICTO.

A CONST



CONSTANS Italiam, Africam, cum insulis, Illyricum, Dalmatiam, Macedoniam, & Achaiam sortitus est, ac fratre cæso, Galliam magno conatu Alpibus superatis, intra biennium in potestatem redegit. Egit primùm bonum, strenuum & iustum principem, præfuítq; Gallis, vt bonus rector. Mox siue rerum felicitate, siue aduersa valetudine immutatus (pedibus enim manibúsque articulorum dolore vexabatur) cunctis ingratus, difficilis, morosus, & tam prouincialibus grauis, quàm militibus illiberalis esse cœpit. Ob id coniuratio in eum est facta, autoribus Chrestio & Marcellino, simúlque Magnentio, incautus, fessus venatione, intra territorium quiescens, ad Helenam oppidum Pyrenæo proximum oppressus est, cùm imperasset annos XIII. vixisset XXX.

In hoc argenteo Numismate adparet statua loricata & paludata, sinistra hastam, dextra labarum tenens: in quo tale signum ☧ conspicitur, cum inscriptione: TRIVMPHATOR GENTIVM BARBARARVM. Infrà subscriptum: SIS.



NEPOTIANVS Eutropiæ sororis Augustorum filius, Constante insidiis Magnentii interfecto, gladiatoribus stipatus à populo Romæ Imperator est creatus, Augustíque nomen accepit.

sed

Sed ab Heraclide Senatore Magnentianæ factionis fautore, facta proditione, simulans velle cum eo loqui, obtruncatus est, capite palo fixo per Vrbis itinera deportato, cùm imperasset dies XXX.

Aereus hic Numus ex altera parte repræsentat mulierem stolatam, Trophæis insidentem, dextra Victoriolam alatam, sinistra hastam tenentem, adiecta inscriptione: ROMA FELIX. Infrà: ⁎ & ☽





CONSTANTIVS tertius frater, in diuisione Imperii, cùm ei attributus esset Oriens, morte Constantis intellecta, vlturus eius cædem, Gallum patruelem Cæsarem fecit, & Orienti præfecit. Ingenti exercitus aduersus Magnentium comparato, memorabili illum prælio ad Murtiam fudit, quo Romani vires Imperii penè concidere, LIII. milibus vtrinque desideratis. Mox cùm Magnentius bellum reparasset, ad Lugdunum iterum eum vicit. Gallum à se anteà Cæsarem dictum, ferocientem & insolentem supra Cæsaris nomen, interfecit, ac solus rerum omnium potitus est. Tyrannos vndique oppresit, ac contra Persas sæpius infeliciter conflixit stultitia suorum militum. Quibus ad sua abeuntibus, cùm Romam cum Ormisda regis Persarum filio inuisit, Iulianum Galli fratrem, tres & viginti ætatis annos agentem, Cæsarem fecit, sorore sua Helena ei in matrimonium tradita: Eúmque in Galliàs aduersus Alemannos eas tunc vastantes, cum paucis equitibus misit. Qui re feliciter gesta, cùm Imperator ab exercitu esset appellatus, de eo certior factus Constantius, aduersus Iulianum exercitum misit. Sed febre correptus, vsq; ad radices montis Tauri lectica vectus, peruenit, ibíque apud Mopsócrenem febre intrinsecus exurente, quam indignatio nimia vigiliis augebat, decessit anno Imperii XXIIII. ætatis XLI. Princeps felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis, mirus artifex in sagittis iaculandis, à cibo vinóque, & somno multùm intemperans, patiens la-

boris, facundiæ cupidus: quam cùm assequi, tarditate ingenii non posset, aliis inuidebat.

In parte altera continentur duæ statuæ loricatæ & paludatæ, hastas & clypea tenentes, inter vtranque duo signa militaria posita, inscriptione tali: CONCORDIA EXERCITVS. Infrà: TRP.

GALLVS patre Constantio, fratre Constantini Magni, matre Galla sorore Ruffini & Cerealis virorum Consularium apud Tuscós, in Massa Veternensi progenitus, & satis liberaliter educatus, ferinos tamen mores educatio tollere non potuit. Erat natura ferox, & ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. Huic cùm Constantius Imperator sororem suam Constantiam iunxisset, & in Antiochia ad tuendum Orientem eum reliquisset, ille noctu cum satellitibus incognitus per Lupanaria, & tabernas cursitabat, sciscitabundus sub voce Græca & alterata, quid de Cæsare sentirent, malè de ipso locutos trucidabat. Domitianum Præfectum prætorio, & Montium Afrum, senem Quæstorem ab Imperatore, qui de scele ribus eius iam senserat ad corrigendum eum missos, per forum tractos, & malè verberatos, suadente vxore, iugulauit. Quod intelligens Imperator ad eum adducendum milites misit. Sed is Constantiam vxorem ad fratrem placandum misit. Qua in itinere mortua, Constantius eum dignitate priuatum exilio damnauit, & postremò interficere iussit, cùm vixisset annos vnde triginta, Imperii sui anno IIII.

In hoc Numismate Imperator in suggestu stans militibus concionatur. Inscriptio: FIDES MILIT.




CONSTANTIA Constantii Aug. soror, Constantii Magni filia

lia, Galli viri ſcelerati vxor. Hæc ſupra modum turgida, virum ad crudeliſsima quæque facinora inflammauit, ac à Gallo marito ad placandum fratrem Conſtantium miſſa in itinere in Bithynia repentina febre conſumpta, deceſsit.



EVSEBIA ſoror Euſebii & Hippatii virorum Conſularium, Conſtantii Imperatoris prior vxor, quam & præcipuè dilexit, eximiæ pulchritudinis: ſed quæ famam viri laceraret magis, quàm modeſtioribus fœminis conuenit. Ob mariti impotentiam prius ad tabem redacta. Pòſt inuerſi vteri dolore, quem ſuffocationem matricis Medici vocant, occubuit.



FAVSTINAM fœminam forma pulcherrimam, priore mortua, matrimonio ſibi iunxit Conſtantius, quam in partu, edita priùs poſthuma, amiſit.




POSTHVMA Conſtantii & Fauſtinæ filia, matris nomine etiam Fauſtina appellata, Gratiano matrimonii iure copulata.





Alias habuit filias Conſtantius, ANASTASIAM & CAROSAM, quas Martianus presbyter Nouatianus in Grammatices rudimentis inſtituit, A quibus Thermæ Anaſtaſianæ & Caroſæ ſunt appellatæ.





VETRANNIO, qui ab aliis BRITANNION dicitur, magiſter militum, Magnentiarum partium, grandæuus iam & cunctis amabilis in Pannonia aduerſus Murſiam, ad tuendum Illyricum, ab

ab exercitu Illyricano Imperator est appellatus. Cùm de Magnentii morte comperisset, posita purpura, & veste indutus Gallica, Constantium adiit, & obuius venienti factus in Thracia obuolutus pedibus, veniam petiit, & impetrauit. Imperator etiam senem ducem amplexus, patrem eum vocauit, & cœnæ adhibuit. Et grandæuo viro non modò vitam, sed voluptuarium etiam otium dedit. Iussit enim abire Prusiada Bithyniæ caput, & propinqua oppida voluit, vt ad victum senis cõtribuerent. Vbi quiete magna sex annos vixit. Homo propè ad stultitiam simplicissimus, probus, iucundæ ciuilitatis. Sed omnium liberalium artium adeò expers, vt prima literarum elementa, iam decrepitus Imperator vix disceret.

In hoc æreo Numismate sunt duæ manus iunctæ, caduceum tenentes, cum inscriptione: CONCORDIA ALTERNA.

SYLVANVS Bonifii filius, in Gallia natus, bello Liciniano, sub Constantino clarus, Tribunus sub Magnentio, pòst ad Constantium defecit, à quo missus in Galliam, felices successus habuit. Quos Constantius suspectos habens, insidiis eum petiit. Hac re intellecta Syluanus pro concione militibus id est questus, & mox Cæsar appellatus. Sed haud longè pòst à tribunis corruptis per Vrsicinum pecunia, Agrippinæ in quodam tumultu est occisus.

Aerea hæc moneta ex altera parte tria refert signa militaria, medio aquila imposita, cum inscriptione: FIDES EXERCIT.





MAGNENTIVS ex Gallia obscuris ortus parentibus, Comes duorum ordinum, apud Augustam Germaniæ vrbem, à Con

ſtante enutritus, magnóque amore dilectus, & quondam ab eo defenſus, dolo Conſtante interfecto Imperium arripuit, ac poſt eius nomine & ſigno illius literas ad eos quos formidabat, ſcribens, vt ad Imperatorem venirent, incautos in itinere occidi iuſsit, ne ſupereſſent qui motum facerent. Deinde ingenti agmine Italiam petit, & Mediolani diu immoratus, fratrem ſuum Decentium Cæſarem fecit, miſitq; cum exercitu trans alpes ad Gallias tuendas. Ipſe cum inſtructo exercitu ad Murtium contra Conſtantium profectus eſt, ac deinde vſus Magæ cõſilio, cum Conſtantio congreſſus, victus eſt, magna ſtrage vtrinque facta. Poſt commiſſum prælium fugiens, cùm ſe in Italiam recepiſſet, apud Ticinum plures incautos fudit, profligatíque exercitus reliquias collegit, & nouo milite ſuppleuit. Cúmque pacis conditiones per legatos ſæpius tentaſſet, tantùm ducis titulum petens, nec quicquam impetraſſet, dimicationis aleam rurſus tentare cupiens, iterum cum Conſtantio conflictu habito, ſuperatus eſt, Lugdunúmque aufugit. Vbi ſentiens vndique ſe cuſtodiri, deeſſeque locum fugæ, furorem ſimulans, fratri Deſiderio vulnera, non tamen letalia intulit, ac quibuſdam ex amicis, deinde ſe ipſum tranſfoſſo latere interfecit, Imperii menſe XLII. Aetatis anno XL.

Argenteum hoc Numiſma in facie poſteriore habet tale ſignum ☧ à dextra parte literam A, à ſiniſtra ω cum huiuſmodi inſcriptione: SALVS DD. NN. AVG. ac ſub hoc ſigno literæ hæ ſcriptæ R. P. L. C.

DECENTIVS à fratre Magnentio Mediolani Cæſar factus, miſſúſque cum exercitu trans Alpes ad tuendas Gallias, audito fratris caſu, ſibi metuens, laqueo faſciæ ad collum poſito, apud Senonas vitam finiuit.

Numus hic argenteus continet ex altera parte ſtatuam Herculis, nudam, pelle Leonis de collo pendente, taurum humeris ferentem, dextra eleuata clauam tenentem, inſcriptione tali addita: VIRTVS AVGG. Infrà: PT.


Iul



IVLIANVS Apoſtata, patre Conſtantio, Conſtantini Magni fratre, matre Baſilina nobiliſsima fœmina genitus. Puer ingenio ſublimi, callido & literarum ardentiſsimo, adeò vt amore literarum inſomnes noctes multas duceret, & vigilias Muſis impenderet, inſtitutus in primis in Chriſtiana doctrina ab Euſebio Epiſcopo Nicomediæ, palàm Chriſtum confeſſus eſt. Deinde Libanio Rhetori inſtituendus traditus, prætermiſſa veritatis cognitione, puerilem animum ad antiquorum crudelitatem flexit, & fidem Chriſtianam deſeruit. A Conſtantio adoptatus, & Cæſar factus, Galliiſq; primùm præpoſitus, in campis Argentoratenſibus, cum paucis militibus, infinitas hoſtium copias deleuit, Regémque eorum Chonodomarium cepit. Re bene geſta, in Gallia hoſtibus ſæpe profligatis, vltráque Rhenum coactis, concordi aſſenſu, à militibus Pariſiis Imperator ſalutatus eſt & Auguſtus. Quo Imperium tenente, populi Rom. hoſtes intra ſuos terminos ſe continuere, & Iuſtitiam cælo delapſam, rurſus ad mortales rediiſſe dicebatur. Conſtantio mortuo, aduerſus quem bellum ciuile parabat, adeptóque toto Imperio, Perſis, qui per LX. annos ſæuiſsima cædium monumenta in Oriente fecerant, Romanis exercitibus ſæpe repulſis atque deletis, bellum indixit, ac cum ingenti apparatu Conſtantinopolim, & hinc tranſmiſſo Boſphoro, à Chalcedone Nicomediam venit. Inde Antiochiam & Hieropolim profectus, in Meſopotamiam ſigna mouit, atq; hinc traiecto fluuio, ponte deiecto, vt militibus redeundi via intercluderetur, ad hoſtes peruenit. Ac commiſſa cum illis pugna, acceptóque vulnere lethali, & manu cruore repleta, vt Chriſto blaſphemaret, in aërem ſanguinem proiiciens dixit: VICISTI TANDEM GALILAEE, VICISTI (ſic enim Chriſtum vocare ſolebat) ac vacuatus paulatim ſanguine, circa noctis ferè medium, epota aqua frigida

gida, vita solutus est, cùm imperasset solus annum I. menses VII. Cæsar verò annos VII. Homo statura exigua & gracili, maiestate conspicuus, laudis immodicè cupidus, cultu Numinum superstitiosus, Christianos impio quodam odio insectatus, quanquam à sanguine eorum abstineret, militiam tamen & studia eis interdixit, ne doctores artium liberalium essent, vnde materia deesset, & paulatim ingenium fidei defendendæ. Plerosque præmiis & illecebris, quasi machinis à vera pietate auertit. Quinetiam librum aduersus Christianos edidit, quem tamen argutißimè Cyrillus Episcopus Alexandrinus refutauit.

In Numismatis huius parte altera Taurus, & supra eum duæ stellæ, ad pedes verò anteriores Aquila cum inscriptione: SECVRITAS REIPVB. Infrà verò subscriptum: T. CONST.



CONSTANTIVS filius Constantii Imperatoris ex Theodora, frater Constantini Maximi, & Iuliani apostatæ pater.





BASILINA nobilißima fœmina, Constantini Magni fratris vxor, & mater Iuliani Imperatoris.

HEL

HELENA Constantini Magni filia, vxor Iuliani. Huic Eusebia Constantii Imperatoris vxor insidiabatur, quòd ipsa sterilis vixerat, quæsitúmque venenum per fraudem bibere illexit, vt quotiescunque concepisset, immaturum abiiceret partum. Cùm autem in Illyricum Iulianus contra Constantium cum exercitu iret, ex partu mortua est. Corpus eius Romam perlatum, in suburbano Nomentanæ viæ sepultum est.



IOVINIANVS in Pannonia, patre Varroniano, Comite ordinum agri Singidonensis natus, prima ætate præceptoribus erudiendus traditus, haud parum liberalibus artibus profecit. Ingenio valde amœno, nec à literis abhorrente. Cùm Iulianus in Oriente interiisset, ab exercitu Imperator inuitus electus est. Licet paulò antè cùm Iulianus lege ab exercitu exegisset Christianos, cingulum militiæ deserere, quàm Imperatori obtemperare maluisset. Electus autem statim voluit omnes milites Christianum nomen profiteri, quod & fecerũt. Ac deinde exercitum Rom. traiecit vltra Tygridem fluuium, ibíque ictum est fœdus pacis ad annos XXX. non sine calamitate Romani Imperii, restitutis quinque prouinciis Transtygritanis, quas Galerius Maximinus acceperat. Restituit etiam Sacerdotes & Episcopos, præsertim Athanasium Magnum, qui priùs sub Constantio & Galierio pulsi erant. Cúmque venisset ad oppidum Dadastana, quod est inter Bithyniam & Galatas, cruditate stomachi, siue, vt alii volunt, in cubiculo recenti tectorio obducto, prunis etiam ardentibus dormiens, repentè interiit, Imperii mense VII. ætatis XXXIII. Vir vultu lætissimo, oculis cæsiis, vasta & ardua proceritate, Christianæ legis studiosissimus, literarum haud expers, sed mediocriter eruditus, beneuolus, & in suos propensus, quos ad dignitatis gradus euexerat.

Numus hic æreus, ex altera parte coronam habet lauream, in qua hæc inscripta leguntur: VOTA PVBLICA.





CHARITO filiam Lucilliani vxorem habuit Iouinianus, ex qua filium genuit Varronianum. Hæc audiens aduentare maritum, cum filio Varroniano obuiam apparatu regio processit, sed fatis nolentibus non potuit conspicere maritum.

VARONIANVS Iouiniani ex Charito filius, quem pater secum Consulem licet infantem, creauerat, qui cùm admodum paruulus in curuli sella cum patre veheretur, vagitu reluctabatur, infelicem patris exitum voce portendens.

In Numismate Varroniani est statua loricata, & paludata, dextra telum, sinistra signum militare ferens, cum inscriptione: PRINCIPI IVVENTVTIS.





VALENTINIANVS Gratiani Funarii hominis ignobilis filius, ipse magnanimus, & rei militaris peritus, sub Iuliano Tribunum agens, quia diis sacrificare nollet, lege ab exercitu exactus est.

Quo

Quo mortuo nulla discordante sententia ab exercitu Nicææ in Bithynia Imperator est electus. Multis vndique per vniuersum orbem bellis insurgentibus, Valentem fratrem Imperii consortem, & Augustum creauit. Gothos & Barbaras nationes Thracia expulit, Septemtrionem omnem cum Saxonibus ad officium redegit. Parthos à Syria per legatos eiecit. Inquietam Germaniam Theodosii maioris auspiciis pacauit. Gratianum suum filium Augustum appellauit. Paulò pòst cùm Quadorum legationem latrocinia excusantem audiret, subita ira accensus, in morbum incidit, quo marcessentibus venis, cùm nihil emitti posset sanguinis, voce amissa, sensu integer expirauit, Anno ætatis L V. Imperii X I. Vir egregio vultu, animo graui, ingenio solertissimo, sermone cultissimo, vitiisque infectus, potissimùm auaritia. Erga Deum valde pius, corpore robustus, & à iustitia nunquam alienus, & quibusdam seuerus dictus & vehemens.

In altera parte est Valentis effigies expressa, cum tali inscriptione: IMPP. DD. NN. AVGG. PP.


VALENS frater Valentiani, ab eo collega Imperii, & Augustus declaratus, Constantinopolim concedens, bella gessit in Oriente, Procopium temerè Imperium inuadentem deuicit, & occidit. In initio Imperii Christianæ religionis legibus fuit deditissimus, ac prius, quàm cum Gothis Thraciam populantibus, congrederetur, voluit lauacro Baptismatis inundari, vt virtute illius & gratia, hostes vinceret. Sed pòst coniugis seductus captionibus, Arriana secta irretitus, iuramento asseruit, se eam constanter tueri & defendere, omnésque ad eam doctrinam adhortatus est, carpentes verò partim exilio damnauit, partim necauit. Religiosos viros per Tribunos & milites fustibus cædi iussit, ac lege lata Monachos militare præcepit. A Valentiniano fratre sæpe literis admonitus & reprehensus, vt à secta Arrianorum sese subtraheret, non modò non destitit, sed magis in Christianorum perniciem inflammatus est. Contra Scythas & Gothos, qui omnia cædibus & incendiis complebant, pugnans ferociùs, quàm cautius in fuga vulneratus ex equo decidit, acceptúsque in vile tugurium circa Hadrianopolim, iuxta quod strues palearum erat cumulata, iniectóque igne, à Gothis superuenientibus, flamma absumptus est, Anno ætatis L. Imperii cum fratre

XIII. cùm solus regnasset annos III.

Moneta hæc cõtinet statuam loricatam & paludatam: sinistra labarum tenentem, dextra mulierem manibus ad tergum ligatis, crinibus trahentem, inscriptione addita; GLORIA ROMANORVM. subscriptum; CONOB.



SEVERA Valentiniani Imperatoris fuit vxor, ex qua Gratianum filium sustulit. Huius commendatione Valentinianus Imperator aliam accepit vxorem Iustinam, quæ multorum liberorum mater extitit.



DOMINICA AVGVSTA raræ pudicitiæ fœmina, vxor Valentis. Hæc Hunnis, Alanis, & Gothis victricibus signis Constantinopolim obsidentibus, viriliter restitit. Nam ex ærario publico multas pecunias & arma ciuibus ac plebi largita, ab vrbis vastatione hostes submouit, regnúmque cognatis fideliter seruauit. Ex hac vnicum filium genuit, qui infans mortuus est.

PROC





PROCOPIVS genere Siculus, in Sicilia educatus, Iulianum principem primo gradu contingebat propinquitatis. Primùm occultus notarius, dehinc militaris Tribunus, & post Constantii obitum inter optimates versatus, quietis publicæ turbator est appellatus: à Iuliano præses in Mesopotamia cũ valido exercitu relictus, cum mandato, si res Romanæ postularẽt, ipse de Imperatore eligendo videret. Mortuo iam Iuliano, intelligens Iouinianum Imperatorem electum, è conspectu se sustulit, atque Constantinopolim aufugit, & ope cuiusdam amici Senatoris, cùm diu delituisset, & quorundam ignobilium militum fauore Imperatorem se fecit, eo tempore, quo Bithyniam Gothi irruperant, eiq; auxilia miserant. Sed à Valente in Phrygia multis militibus ad eum deficientibus, superatus est, amissóque exercitu, cùm per nemora paucis comitantibus per noctem vagaretur, à suis captus, Valenti Imperatori est traditus, qui abscissa ceruice eius, discordiam ciuilem sedauit.

Numus hic repræsentat Imperatorem stantem in suggestu, & militibus concionantem, cum inscriptione huiusmodi: EXERCITVS INVICTVS.

FIRMVS in Africa Imperium sibi rapuerat, atque noua moliebatur. Sed à Valente prælio victus est, & captus, pòst occisus: cùm Africam composuisset apud Carthaginem, sed prius baptismate ablutus, vt liberior iugulum percussori præberet.

In hoc Nùmismate conspicitur Imperator trophæis insidens dextra victoriolam alatam tenens, sibi coronam imponentem, sinistra telum, cum inscriptione: ROMA AETERNA.





GRATIANVS ex patre Valentiano, & Seuera matre Syrmi natus, literis ab incunte ætate haud mediocriter institutus, Poëta & Orator haud vulgaris, princeps planè religiosus ab adolescentia, qui mente pura & immaculabili conscientia, Deum summum veneratus est, pudicus & verecundus, in amicorum officiis sedulus, liberalis & comis. Patruo Valente defuncto, Asiæ Lybiæq; regna suscepit. Treueris agens Valentinianum fratrem iuniorem, Cæsarem & participem Imperii declarauit. Antistites & præsules à Valente expulsos immeritò, reuocauit. Ab Ecclesia Eunomianos, Phornianos, & Manichæos hæreticos amouit. Admodum iuuenis immensam multitudinem Alemannorum in Gallias irrumpentium, licet impari militum numero, circa Argentoratum fudit. Theodosium magistrum militum contra Gothos in Thraciam misit, & re feliciter gesta, cōsortem cum Imperii fecit, tradito Oriente cum Thraciæ Imperio. Verùm dum otiosus ageret, exercitum suum negligens, Alanos, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri & Romano militi anteferret, adeóque barbarorum comitatu atque amicitia caperetur, vt nonnunquàm eodem habitu iter faceret, Maximi insidiis, qui ab exercitu Imperator electus fuerat, circunuentus, periit, cùm imperasset annos XV. cum patre VIII. cum patruo III. cum Theodosio IIII. Aetatis anno XXIX.

Alterum huius Numi latus refert victoriam alatam, stolatam, dextra coronam lauream, sinistra ramum palmæ tenentem, cum inscriptione: SEVERITAS PRINCIPI IVVENTVTIS.

VALENTINIANVS Valentiniani Imperatoris, & Iustinæ filius, à Gratiano fratre post patris obitum in Imperii consortem

tem adſcitus,& in Italiam miſſus : ſed eo dolis Maximi interfecto in Illyricum confugit,& tandem in Orientem ad Theodoſium properauit, à quo liberaliter eſt exceptus,admonitúſque , ne matri aſſentiret in defendenda Arriana perfidia , ſed pietatem paternam ſectaretur, qui Eccleſiam orthodoxam ſemper fuiſſet tutatus. Ab Italia in Gallias profectus,dum Viennæ negligentiùs moraretur, fraude Arbogaſti,Alanorum præfecti,noctu in cubiculo ſtrangulatus,creditur ſubita,aut voluntaria morte obiiſſe.

In poſteriore latere argentei huius Numi continetur ſtatua Apollinis nuda,corona & radiis ornata,dextra flagellum,ſiniſtra globum tenens,cum inſcriptione tali: ORIENS INVICTO AVG.



CONSTANTIA Poſthuma,filia Conſtantii ſecundi ex Fauſtina vxore,quam imprægnatam poſt ſe reliquit , quæ cùm adoleuit,Gratiano,iure matrimonii,eſt copulata.





THEODOSIVS patre Honorio,matre Thermantia genitus,Hiſpanus genere,originem a Traiano principe trahens , haud dubiè inter optimos annumerandus princeps , quippe qui Remp.

c Goth

Gothicis armis penè oppressam, accitus ex Hispania à Gratiano, restituerit. & ob id Imperator apud Syrmium effectus, Maximum Tyrannum, qui sibi Gallias vendicabat, apud Aquileiam extinxit. Victorem quoq; eius filium intra infantiæ annos à Maximo patre Augustum factum necauit, Valentiniano Imperium asseruit, Eugenium Tyrannum & Arbogastum in Valentiniani vltionem sustulit, non sine Numinis manifesto iudicio. Cum multò minoribus enim copiis congressus militante illi æthere, & pugnantibus pro eo ventis, insignem adeptus est victoriam. Cum summa gloria potitus amplissimo triumpho liberati orbis, subactísque vndique tyrannis, administrationi Reip. animum adiecit, filiósque consortes Imperii faciens, Archadium orienti, Honorium Occidenti præfecit. Ipse Mediolani consenuit, vbi in morbum incidens, defunctus est anno ætatis L X. Imperii X V I I. Corpus eius Constantinopolim translatum, ibi sepultum est. Princeps vultu, moribus, & successu Traiano fuit similis. Eminens statura, cæsaries magna, ingentes oculi, summa in eo clementia, incredibilis in suos pietas, rei militaris disciplina sagax fuit, nec à literis alienus, simplicium ingeniorum admirator, pietatis Christianæ adeò obseruator, vt summa ciuilitate ab Ambrosio Antistite castigatum se, adytísque prohibitum, tulerit.

In hoc Numismate adparet Imperatoris statua loricata, & paludata, ocreis etiam induta, dextra mulierem seminudam, humi iacentem eleuans, sinistra globum tenens, in quo stat victoriola alata, dextra coronam Imperatori impositura, cum inscriptione: PRAEPARATIO REIPVB. Infrà: PSISC.

Alter Numus habet victoriam alatam, sinistra palmam, dextra globum ferentem, adiecta inscriptione: VICTORIA GOTH. MAX.






THERMANTIA Honorii, vel, vt aliis placet, Theodosii vxor

Imp


Imperatoris Theodosii mater.



FLACCILLA Theodosii vxor, deuotissima ac religiosissima fœmina, quæ multa pietatis exempla egenubus exhibuit, & maritum sæpe admonuit, ne benefactori ingratus foret: Theodosio marito duos peperit filios, Archadium & Honorium Imperatores.



GALLAM Valentiniani maioris filiam, & minoris sororem, defuncta Flaccilla, sibi matrimonio copulauit Theodosius, ex qua Placidiam Gallam filiam tulit.



MAXIMVS Dux Rom. exercitus, vir strenuus & probus,

 ab

ab exercitu in Britannia Imperator electus, Gallias ex improuiso adortus est. Gratianum otio indulgentem, insidiis oppressit. Sed & ipse circa Aquileiam à militibus suis vinctus, Theodosio traditus est, à quo occidi iussus est.

Alterum latus Numismatis refert statuam galea cristata ornatam, trophæis insidentem, dextra globum, sinistra Cornucopiæ tenentem. Inscriptio talis legitur: BRITANNIA PERPET. AVG.

VICTOR Maximi Tyranni filius, adhuc puer, Cæsar à patre factus, & Galliis præpositus, cum patre à Theodosio trucidatus.

Numus iste repræsentat statuam muliebrem stolatam, dextra ramum oliuæ, sinistra Cornucopiæ gerentem, cum inscriptione: PAX AVG.



EVGENIVS Grammaticus & literarum Latinarũ præceptor, relictis scholis in palatio Imperatoris militabat Autographus, ob eloquentiam honoratus, Valentinianum dormientem accepto in consilium & socium Arbogasto Gotho, militaris ordinis Duce, corruptis cubiculariis, suffocauit, Tyrannidémque arripuit. A Theodosio victus prælio, captúsq; dum ad pedes eius prostratus veniam peteret, à militibus adstantibus, capite truncatus est.

ARCH





ARCHADIVM & HONORIVM filios Theodosius viuens consortes Imperii fecit, & moriens, quoniam ætas eorum nondum matura Imperio erat, tres Imperii tutores testamento sanxit, Archadio, Orientis Imperatori, Ruffinum: Stiliconem Vandalum Honorio, qui Occidentem tenebat: Gildonem verò Africæ præesse voluit. Ruffinus verò spe potiundi Imperii, ius legationis violans, clàm missis muneribus, Alaricum Gothorum regem, contra Archadium solicitauit. Verùm comperta proditione, medio conatu à militibus Italicis Ruffinus, perniciosus tutor, est occisus. Caput cum dextra præcisum, ante ipsas Constantinopolis portas suspensum, spectantibus omnibus risui atque ludibrio fuit. Pari pœna Caianus comes, & imitator Ruffini, qui contra Archadium bellum ciuile mouerat, Constantinopolimq; vrbem ferro & flamma vastauerat, affectus est. Archadius autem, cùm Bizantii regnasset annos ferè XIII. obiit, Aetatis XXXI. relicto ex Eudoxia arrogante & superba fœmina Theodosio octo annorũ filio, & tribus filiabus Flaccilla, Martina & Pulcheria. Honorium verò Romæ agentem maior rerum moles excepit. Gildo regnum Africæ adeptus, ætatem Imperatoris aspernatus, ad Imperium animum adiecit, quem tamen fratris Mascezelis ductu, superauit, eúmque ex fuga retractum, interfecit Honorius. Eundem quoq; Mascezelem rebellantem auspiciis Bonifacii vicit. Stilico Vandalus autoritate, opibúsque præpotens, militaris disciplinæ scientissimus, Honorii etiam socer, filio suo regnum parare cupiens, Sueuos, Vandalos & Alemannos magna spe prædæ solicitauit, & in Honorium mouit, quos Vldinus & Sarus cum exercitu Hunnorum & Gothorum repulerunt, &, interclusis commeatibus, inedia confecerunt, regémque Radagasum ceperunt, & posteà in carcere strangularunt. Alaricus deinde Radagosto suffectus, & Imperio potitus,

concessa suis ab Honorio Gallia ad habitandum, à Stilicone fraude petitus & irritatus, vrbem Romam, ac ferè totam Italiam diripuit, Placidiam Honorii sororem abduxit, & Ataulpho propinquo suo in vxorem dedit. Honorius verò in consortem Imperii accepit Constantium ingentis animi virum, & in rebus gerendis clarissimum, eique sororem suam Placidiam remissam desponsauit, qui magna indole tyrannos Gratianum in Britannia, Constantinum cum filio Constante in Galliis sustulit, atque Barbarorum impetus domuit, qui Galliam, Britanniam, & Hispaniam infestabant. Sublatus est tamen immatura morte septimo mense, postquàm Cæsar appellatus est. Non longo tempore pòst Honorius quoque cùm regnasset annos XXXI. cum patre II. cum fratre XIII. cum fratris filio XVI. morbo aquæ intercutis decessit, nulla superstite prole.

In Arcadii Numismatis posteriore parte conspicitur statua Imperatoris, vestitu militari, & paludamento, dextra labarum, cui tale signum ℞ infixum, sinistra globum, cui insistit Victoriola, manu dextra coronam habentem, tenens, sinistro pede captiuum humi iacentem, calcans, cum inscriptione: VICTORIA AVGG. CCS. Subscript. CONOB. vtrinque: S. & H.

HONORII Numus refert muliebrem statuam vestitu longiore, scuto insidentem, dextra Victoriolam, sinistra hastile habentem, inscriptione addita: GLORIA ROMANORVM. Subscriptũ: SXP.




EVDOXIA, arrogans, audax & auara fœmina, Archadii vxor. Hæc cùm Archadius esset ignauus, & mollis sensus, plus quàm Imperatorem decet, cuncta suo arbitrio gessit. ob id, cùm à Chrysostomo Patriarcha viro religioso castigaretur, effecit, vt in exilium pelle-

retur

retur. Qui ad deserta Armeniæ delatus, haud diu vixit. Sed & Eudoxia statim post huius obitum, violenta morte, & diuina vltione, concidit, superstitibus Theodosio filio, & tribus filiabus.







FLACCILLA, MARTINA, & PVLCHERIA, tres filię Archadii, ex Eudoxia. Pulcheria verò religionis obseruantissima cultrix, summa bonitate, integritate, & sanctitate, virginitatem perpetuò seruauit.





THEODOSIVS IVNIOR, Archadii & Eudoxiæ filius, admodum puer à patre viuente in Imperium accitus, & à mo-

riente sub tutela Isdigertis Persarum regis relictus, qui etiam tutelam summa fide gessit, & pacem cum Romanis habuit, quoad vixit. Puer optimis moribus & disciplinis à Pulcheria sorore institutus. Vix dum VIII. annos natus, Anthemio præfecto viro prudentissimo duce, Imperium administrauit. Honorio defuncto Valentinianum consobrinum suum ex Constantino & Placidia natum Cæsarem fecit, & data Eudoxia in vxorem, Romam misit. Persis fracto fœdere, duce Ardaburio, bellum indixit. Parthorum ducem superauit, vastata regione Azamea, depopulatáq; Mesopotamia, Nisibim longa obsidione pressit. Pace constituta, cùm Imperium Orientale omnium fauore regeret, febre solutus est, anno Imperii XLVIII. totidémque ætatis, relinquens vxorem Eudoxiam Leonis Atheniensis Philosophi filiam, quæ præter egregiam formam, singularémque pudicitiam, etiam literis excelluit. Princeps fuit vitæ integerrimæ, in primis Christianæ religioni addictus, lectionibus diuinis intentus, semper cum Episcopis & sacerdotibus conuersans, Codices sacros vndique disquirens, & in splendidissima bibliotheca conseruans, philosophiæ haud ignarus. Sic patientia & clementia cunctos homines vincens, vt ratione viuere à cunctis apertissimè prædicaretur, nulla vindicta animum exatians, etiam lacessitus. Atque sub hoc principe Venetiæ felicissimis auspiciis in aqua ædificari cœptæ sunt.


Huius monetæ posterius latus repræsentat statuam muliebrem galeatam, trophæo insidentem, dextra Crucem, sinistra globum tenentem, cum inscriptione huiusmodi: CONCORDIA AVG. CCS. Subscript. CONOB.

VALENTINIANVS filius Constantii Cæsaris & Placidiæ sororis Honorii & Arcadii. Ab Honorio cum matre & sorore ob suspicionem pulsus ab vrbe, ad Theodosium iuniorem Constantinopolim peruenit. Mortuo verò Honorio, à Theodosio Cæsar & Augustus appellatus est, Romámq; peropportunè missus. Vbi Ioannem Imperatorem factum, statim oppressit. Cum Genserice Vandalorum rege pacem sanxit, parte Africæ contento: aduersus Atilam Hunnorum regem Imperio orbis inhiantem, copias duxit, ac in campis Catalaunicis acerrimè vtrinque pugnatum est, cæsis CXLV. millibus, victoria tamen penes Romanos stante ductu Etii, qui deinde

Maxim

Maximi,viri potentiſsimi,figmentis,vel iuſſu Valentiniani principis, qui illius ſucceſſus metuebat,occiſus eſt, in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem adductus.Sed & Imperator poſteà Romæ ab eius commilitonibus confoſſus periit, Anno Imperii XXX. Fuit hic Valentinianus, vltimus Imperator Occidentis, donec poſteris temporibus Carolus Magnus Imperator factus eſt.Et ſub hoc collapſum eſt Occidentis Imperium penitus. Franci enim Gallias, Scoti & Angli Britanniam occupauerunt,Hunni Europam,Vandali Africam, & Romam vaſtauerunt. Ac Romæ poſt Valentinianum multi conſtituti ſunt Imperatores,aliquando quidem ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis,aliquando à Senatoribus Romanis,& aliquando à milite,quem Imperator Conſtantinopolitanus in Italia habuit. Quidam etiam ſua autoritate rapuerunt Imperium.Quorum primus Maioranus Senatorii ordinis,Seuerianus, Anthemius, Olybius, Blicerius, Oreſtes, qui filium ſuum Auguſtulum Cæſarem fecit in Italia. Poſt hunc ad Iuſtinianum vſque Gothi tenuerunt Occidentale Imperium.Acciderunt autem hæc anno ab Vrbe condita M. CCXXIX. circiter annum Chriſti CCCCLVI. Atque ita regnum Occidentale vacauit annos CCCXVII. vſque ad Carolum Magnum.

In hoc Numiſmate conſpicitur Imperatoris ſtatua loricata & paludata, dextra aliam ſtatuam genibus flexis precantem, orantémque corona turrita, eleuans, ſiniſtra victoriam ferens, cum inſcriptione: PRAEPARATIO REIPVB. Infrà: SIS.



MARIAM & THERMANTIAM Stiliconis filias,vnam poſt alteram vxores habuit Honorius, quæ ambæ ſubita morte virgines ſublatæ ſunt.

D EVD



EVDOXIA Theodosii iunioris filia, Valentiniani vxor, post interfectum maritum, Maximum illius coniugium petentem repudiauit, ac in vltionem cædis viri Gensericum Vandalorum regem ex Africa accersiuit matrimonio. Qui magno cum exercitu adnauigans, Vrbem ingressus, in eâque quatuordecim dies grassatus, Eudoxiam cum duabus filiabus, Placidia & Eudoxia abduxit, matrémque sibi copulauit.



EVDOXIA Valentiniani & Eudoxiæ filia, Honoricho Genserini filio nupsit. Quæ cùm XVI. annis cum marito in matrimonio perseuerasset, post Hildericum filium genitum, tandem mariti consuetudinem, quòd is Arrianę sectæ addictus esset, abhorrens, captato tempore, Constantinopolim petiit, inde Hierosolymam profecta, ibi mortem obiit.



AETIVS patricius Valentiniani Imperatoris Dux Imperii Occidentalis, non minùs ciuilium artium, quàm bellorum peritissimus. Cùm Atilam Hunnorum regem ingenti superasset prælio, multásque præclaras res gessisset, & prospera felicitate indies cresceret, Maximi figmentis, vel iussu Valentiniani principis, qui illius successus metuebat, occisus est, ac cum eo pariter Occidentis Imperii salus occubuit.



IOANNES Tyrannus Rauennæ præsidio Castini Imperium vi arripuit, & mox Constantinopolim legatos ad Theodosium, vt eum approbaret, misit. Cui infensus Imperator, Oratores in carcerem coniiciens, Magistrum militum Ardaburium contra tyrannum cum exercitu misit. Qui ab Aquileia Rauennam nauigans, ventis aduersis in manus tyranni incidit. Sed Aspar Ardaburii filius, patris captiuitatem ægro ferens animo, collectis vndique militibus, per inuiam paludem circa Rauennam Duce Pasteo quodam, vrbem apertam ingressus, sæuis populationibus vastauit, ac incendit. Ac tandem captus tyrannus, improuidè militibus occurrens armatis, alteráque dextra priuatus, asino impositus, per contumeliam circunductus, iugulatus est, cum annis v. præfuisset. Vir aliòquin ingenio mi-

ti, ac virtute prӕditus, minimè delatoribus aures adhibens, neque pecuniӕ gratia, iniquum aliquod flagitium faciens.



FLAVIVS VALERIVS MARTIANVS humili genere natus, militia tamen clarus, ſingulari prudentia, & integritate vitӕ, omnibus notus, Pulcheriӕ, Theodoſii Imperatoris ſororis ſtudio, admodum ſenex dignus viſus eſt principatu. Moderatus ſanè princeps, & rebus agendis idoneus, ſi per ſenectam diutius viuere licuiſſet. Nam imminutum Orientis Imperium per LX. ferè annos dilapſum, prudentia ac conſilio ſic reparauit, vt breui ingens cunctis exultatio, & ſpes oriretur dilatandi Imperii. Cum Parthis & Vandalis fœdus percuſsit, ac pacem inſtituit, Atilӕ minas compeſcuit, Nonades & Blommias Aethiopia dilapſos, per Florum Alexandrinӕ vrbis procuratorem, ſedauit, & à finibus Romanorum pepulit. Arma nunquàm niſi prouocatus mouit, pacem, quoad fieri potuit, coluit, illud ſӕpe vſurpans: DVM IN PACE ESSE POSSVMVS, ARMA NON INDVAMVS. Tatianum & Iulium fratres, qui olim aquilӕ ſuperuolantis eius caput auſpicium retexerant, viaticóq; ducentorum aureorum inopem & ӕgrotantem adiuuerant, ſtatim vt Imperator eſt appellatus, Iulium Conſtantinopoli, Tatianum Illyricis prӕfecit. Anno autem VI. Imperii, & menſe VI. naturӕ conceſsit, conſpiratione Aſparis, qui ei venenum dediſſe perhibetur. Qua de cauſa poſt creationem noui Principis, cùm filius Aſparis Ardaburius Cӕſar eſſet à Leone pronuntiatus, populus patrem interfecit cum filio.

In Numiſmatis huius ӕrei parte poſteriore ſtatua adparet Apollinis, nuda, ſiniſtra globum tenens, dextram eleuatam habens. A dextro

xtro

xtro eius latere litera T à ſiniſtro F conſpicitur, addita inſcriptione tali: SOLI INVICTO COMITI. Sub eadem ſtatua hoc ſcriptum: ATR.





TATIANVS ET IVLIVS fratres non fuerunt Imperatores, neque tyrannidem occupauerunt, ſed à Martiano Imperatore, ob quædam in ſe beneficia, alter Conſtantinopoli, alter, Tatianus ſcilicet, Illyricis pręfectus eſt. Nam cùm Martianus in Lycia prima ſtipendia mereret, & illic ægritudine oppreſſus eſſet, eum abeuntem viatico ducentorum argenteorum (omnia enim conſumpſerat) proſecuti ſunt. Cuius beneficii memor Martianus, iam Imperator factus, vtrunque ad eas dignitates euexit.



AVITVS Patricius Romanus à Senatu populóq; Rom. Imperator creatus, cum quo Martianus priùs, quàm moreretur, fœdus, & ſocietatem iunxit, vt in tantis Barbarorum motibus vtrunq; Imperium mutuo eſſet ſibi inuicem auxilio, mutuóque fauore ſtarent. Sed nec diu imperauit, vtpote qui apud Placētiam captus à Ricimere, & coactus purpuram exuere, paulò pòſt rebus exceſsit humanis.



LEO Græcanici ſanguinis ſuffragiis & factione Aſparis ex tribuno militum, Imperator factus & Auguſtus appellatus eſt. Cuius etiam filium Cæſarem cùm inuitus creaſſet, poſteà cum Ardaburio, vt inſidiarum in ſe autores interfecit, Leonémque nepotem ex filia Ariadna & Zenone ſucceſſorem ſibi eſſe voluit. Aduerſus Genſericum regem Vandalorum, Baſiliſcum Ducem miſit, qui ſiue ignauia, ſiue proditione, nauali victus prælio à Vandalis, aufugit. Sub huius Imperio Bizantium magna ex parte conflagrauit, & Italia in perpetuo motu fuit. Cùm autem Imperium Orientale X V I. annis rexiſſet, occubuit, relicta vxore Berina, ex qua Ariadnem, & Leontiam filias ſuſtulit. Vir, in quo multæ clariſsimæ effulſerunt virtutes: ſed omnium maximè erga homines calamitoſos miſeratio, illud ſemper in ore habens, QVEMADMODVM SOL CVNCTIS, QVAE ILLVSTRAT, NONNIHIL IMPERTIT CALORIS, SIC PRINCIPEM DEBERE EOS, SVA DIGNARI MISERICORDIA, QVOS CONTVETVR.

In hoc Numo ex altero latere adparet effigies Crucis quatuor inſiſtens gradibus, cum ſubſcriptione eiuſmodi: VICTORIA AVGG. Infrà; CONOB.



LEO IVNIOR ab auo puer relictus, vix anno Imperio præfu

præfuit, quod tamen licet iuuenis, accuratè administrauit, morum, non belli studiosus. Sed cùm esset valetudinarius, Zenoni patri nouo exemplo pietatis, manibus suis Diadema imposuit, patrémq; pro se deinceps regnare iussit.

Moneta hæc continet Victoriam alatam, dextra imaginem Crucis, sinistra palmam ferenté cum inscriptione: VICTORIA AVGG. SC. Infrà: CONOB.




BERINA vxor Leonis Imperatoris, Ariadnem, & Leontiam filias genuit, ac Leontia patricio Martiano filio Anthemii Imperatoris in matrimonium collocata.




MAIORANVS apud Rauennam Occidentale Imperium arripuit: sed contra Alanos, qui Gallias infestabant, mouens exercitum Denonæ iuxta fluuium, Hyram cognomento, occisus est, cùm annos penè IIII. regnasset.




SEVERVS qui & Seuerianus,natione Lucanus, apud Rauennam Imperator factus, & Augustus salutatus est. Biorgum Alanorum regem superauit,& propterea lauream meruit. III. Imperii sui anno,vel,vt alii volunt, IIII. Romæ propria morte, aut veneno defunctus est.





ASPAR non Imperator fuit, sed tanta valuit potentia, vt Leonem ex Tribuno militum, Cæsarem crearet, ea conditione, vt Ardaburium filium suum adoptaret, quod & Leo fecit. Id cùm innotuit, à populo Aspar, cum Ardaburio Cæsare iam creato interfectus est.






ANTHEMIVS gener Martiani Imperatoris,opibus & gen

genere magnus, à Martiano ad Occidentis Imperium ſuſcipiendum miſſus, vt Vandalorum bello auxilio foret, I I I I. regnauit annos Cum genero ſuo Ricimero in diſcordiam veniens, diu mutuò certarunt, ac tandem ad Aelium pontem à Ricimero victus, & gladio tranſfoſſus eſt.

RICIMER genere Gothus, vir militaris & egregius, in principatum Romæ adſcitus, & gener Anthemii Imperatoris, Alanorum ingentem multitudinem cum eorum rege non longè à Bergamo, ciuitate Venetiarum prælio ſuperauit. Soceri ſui Anthemii auxiliares copias fudit, eúmq; confodit. Ciuium Romanorum bona direptioni dedit. Sed paulò pòſt Cœliacus dolor eum extinxit.



OLYBRIVS gener Valentiniani. Nam eius filiam Placidiam vxorem habuit, ſine controuerſia Ricimero in Imperio ſucceſsit. V I I. Imperii menſe deceſsit Romæ.

GLYCERIVS Senatorii ordinis Romanis inuitis ab exercitu poſt Olybrium Imperator ſalutatus eſt. Sed emenſo vix annuo ſpatio, à Iulio Nepote (ſic erat illi nomen) Marcellini quondam patricii ſororis filio, regno expulſus, & præſul apud Salonas Dalmatiarum vrbe, ordinatus eſt.

E PLAC



PLACIDIA VALENTINIANI ex Eudoxia filia, matre, à Censorino abducta, Olybrio, qui pòst Imperator fuit, in vxorem tradita est.





NEPOS Glycerium regno priuauit, sibíque Imperium rapuit. Sed Augustulo Imperatore electo, Dalmatiam fugit priuatus regno, ac Salonis cæsus est.

AVGVSTVLVS puer admodum à patre Oreste Rauennatium studio, ac militari fretus fama Imperator est factus. Cum Vandalis in Africa imperantibus fœdus sanciuit. Sed Orestes pater ab Odoacre Gothorum rege superatus, ac Placentiæ interfectus est. Filius verò Augustulus, metu purpuram abiiciens, cùm vix XI. mensibus Rempub. tenuisset, exilio damnatus est.

ODOAC



ODOACER olim Oreſtis armiger, Gothorum rex, occupata tota Italia poſt Auguſtulum XIIII. annos regnauit. Initio regni, vt terrorē ſuum Romanis indicaret, Bracilam Comitem apud Rauennam occidit. De Vrbe transferenda cogitauit, déque ſuo nomine Odoacriam appellare voluit: & perfeciſſet fortè, niſi à Theodorico Veronenſi rege Gothorum, apud Rauennam ſuperatus & extinctus eſſet.



ZENO obſcuriſsimi generis ex Iſauris Ciliciæ humili & incognita villa, tam facie, quàm moribus deformis, à Leone filio Imperialem aſſequutus eſt dignitatem. Homo facie turpiſsima, ingenio multò deteriore, qui non vt Auguſtus, ſed vt tyrannus imperauit, fratrem habens nomine Conona, ſeipſo longè ſceleſtiorem, qui ſanguine & cęde hominum mirificè oblectabatur. Theodoricum Oſtrogothorum regem, Conſulem priùs à ſe factum contra Odoacrem in Italiam miſit. Pulſus à Baſiliſco in Iſauriam cum vxore Ariadne ſeceſsit, priuatam inſtituens vitam, ſatius ratus id facere, quàm Remp. domeſticis ac ciuilibus certaminibus lacerare. Reuocatus ex Iſauria, magno ciuium fauore, & ſtudio, propter tyrannidem Baſiliſci, re-

gnum suum repetiit, ac Basiliscum post acceptam cladem, in templum fugientem cepit, & cum filio in Cappadociá relegauit. Illum & Leontinum, qui Orientem inuaserant, in Papyrio castello munitissimo captos, interfecit. Et cùm XVII. annis Imperio præfuisset, miserabili morte obiit, relicta vxore Ariadne, quæ filia fuit Leonis Imperatoris. Hoc principe incendium adeò graue fuit, vt præter vrbis Constantinopolis maximam partem conflagratam, centum & viginti milia librorum combusta sint.

Huius Numi pars posterior continet victoriam alatam, sinistra ramum palmæ, dextra Crucem margaritis ornatam, ferentem: à cuius dextra parte stella, à sinistra tale signum ♀ conspicitur, adiecta inscriptione eiusmodi: VICTORIA AVG. ZEN. Infrà: CONOB.



ARIADNA Leonis Imperatoris ex Berina filia, Zenonis vxor. Hæc maritum suum, cùm ebrietati adeò deditus esset, temulentúsq; adeò, vt nihil à mortuo differret, multo oneratum vino, moribundum quasi iacentem, veluti mortuum sepulcro, quo Reges reponebantur, inferri iussit, addito ingenti lapide, qui eum tegeret. Qui postquàm resipuit, & ebrietas soluta est, magnos dedit eiulatus & clamores, nullo opem ferente, ac in eo sepulcro mori coactus est.

BASIL







BASILISCVS Zenone Calcedoni degente à Berina forore fua Augufta, in regali folio locatus eft,& Rex declaratus. Qui vxorem fuam Zenoridam Auguftam corona decorauit, & Marcum filium Cæfarem fecit, fed propter vitæ fœditatem & auaritiam inexhauftam,ac quòd Neftorianam impietatem effet amplexus, inuifus populo, à Zenone captus, in Cappadociam relegatus, cum filio fame & frigore confumptus eft.



ANASTASIVS ex humili forte natus, Dicorus dictus, à difcoloribus oculorum pupillis,quarum dextra nigricans,finiftra cœrulea fuit,ftudio Ariadnes Auguftæ,extincto marito, Imperator eft

dictus. Ariadnem Augustam in vxorem duxit, ac ipso nuptiarum die tributum Chrysargyron omnibus remisit. Isauros commisso prælio apud Contæianum Phrygiæ oppidum palantes superauit, vrbibus eorum dirutis & solo æquatis. In Illyrico cum Sabiniano & Mondone ad Margum cum Pompeio Adrianopolim, cum Aristo ad Zartain, cum Parthis in Syria decertauit. Contra Vitalianum ad Aquilonem bellum gessit. Cum Agarenis Orientis loca populantibus, pacem firmauit, multos qui imperium sibi vsurpauerant, supplicio affecit. Sub eo multi motus fuerunt. Bulgari, gens priùs ignota, in Illyricum & Thraciam excursiones fecerunt. Getæ Macedoniam, Thessaliam, Epirum diripuerunt. Christianæ religioni primò fuit studiosissimus. Sed posteà malo genio actus, Eutychianæ hæresi adhæsit, quaternitatem, non Trinitatem esse adorandam præcipiens, ac Orthodoxis multam iniuriam inferens. Ob id diuinam commeruit vltionem. Nam fulmine ictus, periit, Imperii anno XXVII. Aetatis LXXXVIII.

In hoc Numismate adparet huiusmodi signum ✱ M ✱ Sub eo hoc scriptum: CON.



FL. VALER. IVSTINVS ex Thracia vtroque parente ignobili, ortus, primùm à teneris annis suum boúmque custos, deinde miles, ex milite factus princeps ordinis in exercitu, tandémque mirabili astutia (quippe qui accepta ab Amantio Eunucho pecunia, vt militi, pro Theocritiano præficiendo distribueret, in se suffragia verterit) à Senatu Imperator electus, vt lapsantem Remp. restitueret. Theocritianum, Amantium, & Andræam insidias sibi molientes è medio sustulit. Vir orthodoxus & pietatis veræ studiosissimus

nus; qui publico edicto promulgauit Calcedonense Concilium venerari, autorúmque nomina (qui sexcenti triginta patres fuerant) perpetuæ memoriæ commendauit. Ex Oriente Arrianæ hęreseos infectos expulit, inter quos Seuerus Antiochiæ Episcopus fuit, qui magnas mouit turbas de corruptibili & incorruptibili. Orthodoxos Episcopos ab Anastasio eiectos recepit. Germanum Capuanum prę sulem legatum ab Ormisda Pontifice Max. missum, vt Christianam & catholicam Ecclesiam reformaret, clementissimè audiuit. Cúmque IX. annis magna virtute Imperium administrasset, volens senectuti suæ consulere, Iustinianum ex sorore nepotem adoptauit, & imperii successorem instituit, ac non multò pòst obiit.

In huius Numo videntur duo Imperatores palliati, alia veste ex gemmis & margaritis ornati, sellis insidentes, dextris globum, sinistra sceptrum gerentes. Inter quos victoria alata adparet eos coniungens, cum inscriptione: VICTORIA AVG. Infrà: TROBS.



LVPICIA Iustini vxor, quæ postquàm coronata diademate, & Augusta est dicta, additum est illi nomen Euphemiæ.





IVSTINIANVS Iustini sororis filius, ex Bedirina

Illyrica ciuitate genitus, annum agens XLIIII. à Iustino Imperium suscepit, adiecitque animum, vt illud repararet. Et primùm Orientem pacauit: Persas, qui transgressis limitibus, Mœsiam Syriámque prædati fuerant, opera Bellisarii viri clarissimi ac strenui, intra suos fines continuit. Romam à Gothorum seruitute asseruit, Africam Imperio, pulsis Vandalis, restituit. Regem eorum Gelimerum cepit, & vinctum catenis Constantinopolim misit, de eóque triumphum splendidissimum egit. Narsete Duce Totilam Gothorum regem vltra decem annos in Italia regnantem, qui & vrbem Romam spoliauerat, incenderat, & cultoribus vacuam reliquerat, interfecit, & Gothorum tandem nomen in Italia deleuit. Cùm iam Italiam recuperasset, Africam omnem, cum Persia subegisset, domi fo rísque gloriosus esset, confusas leges in Epitomen redegit, superuacua & inutilia resecans, cùm priùs incondita & sparsa ciuilis illa iuris corpulentia obrueret magis, quàm iuuaret. In quinquaginta Digestorum libros singula contraxit, & quatuor Institutionum libros compressit. Codicem inuulgauit, indoctus quamuis ille, ita vt facilè ab illis, quorum opera vsus fuit, decipi potuerit. Templum magnificentissimum admirando ædificio extruxit, quod Græca voce ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, id est, sanctam sapientiam appellauit. Vir iustus & integer, & certè maximus princeps, nisi delirii Eutychiani reus fuisset. In perscrutandis rebus ingeniosus, atque hæresum maximus hostis. Ad vindictam sumendam præceps. In pecunia effundenda immodicus, & ad congerendam intemperantissimus. Vnde & pa rum honestis modis pecuniam sibi corradebat, nullúsque suæ auaritiæ erat modus. Tandem morbo ex senio affectus, insanus mente decessit, Iustino priùs Imperii consorte electo. Imperii anno XXXIX. ætatis LXXXIII.

Aureus hic Numus facie altera repræsentat Imperatorem palleatum, igni adstantem, librósque face accensa comburentem. A cuius tergo duæ conspiciuntur statuæ palleatæ ferentes libros. Ante eum adparet statua muliebris, galea cristata ornata, dextra globum, cui insistit victoriola alata, sinistra cornucopiæ gestans, cum tali inscriptione: IVRA ET LEGES DEPRAVATA PENE IMP. RESTITVIT. Et infrà subscriptum: INGENS PEC. POP. AB PP.

THEOD

THEODORA Iuſtiniani Imperatoris vxor, fœmina illuſtris & prudens. Cùm Iuſtinianus extremis temporibus parum eſſet mentis compos, multò maximam adminiſtrationis partem ad ſe traxit. Vigilium Pontificem in carcerem conieeit, & panem illi & aquam ſolùm aliquot diebus dedit. Nobiliſsimum templum apoſtolorum excitauit, multò magnificentius & ornatius illo, quod à Conſtantino extructum fuerat. Ex humanis autem exceſsit, cùm annos XXI. menſes III. in Imperio peregiſſet.





IVSTINVS minor, nepos Iuſtiniani ex filia, à teneris annis non vt nepos, ſed vt filius in regia ſemper habitus, & à Iuſtiniano Imperator coronatus. Natura ad omnia dexter, magnanimus, pius in Iuſtiniani domum & familiam, & ab initio principatus, ductu Sophiæ coniugis, liberalis fuit, vnde ſibi animos militum & ciuium deuinctos reddidit. Sed poſteà tantæ deditus auaritiæ, vt Senatores ſpoliaret, & in omnes paſsim diuites rabie quadam deſæuiret. Fidei etiam Chriſtianæ contemptor maximus, in Pelagianam decidit hæreſin. Fœdus Perſicum, quo Romani quotannis Perſis pendebant libras auri quingentas, diſſoluit, illíſque bellum indixit. Cúmq; Perſæ ad deuaſtandas terras Romanas cum magnis copiis irruiſſent, & cum ingenti præda inoffensè abiiſſent, tantam ex accepta clade accepit triſtitiam & mœrorem, vt ratione amiſſa, amens fieret, ac decimotertio Imperii anno diem extremum pedum dolore, clauderet, ſuperſtite vxore Sophia, & declarato Tyberio Imperatore.

In hoc Numiſmate adparet Imperator in ſella ſedens, dextra globum, ſiniſtra ſceptrum tenens, pedibus verò roſtrum nauis premens, inſcriptione addita eiuſmodi: VOTA XXX. MVLTA XXXIX. Et infrà ſubiectum: CONOB.

Vxorem habuit SOPHIAM Iustinus, quam tam ardenter amauit, vt portum à se exædificatum Sophium, ac regias ædes suburbanas cum adiacentibus agris, Sophiada nuncuparet, quam etiam moriens Tyberio excubitorum Comiti commendauit, vt eam veluti dominam, & Reginam obseruaret.



TYBERIVS Constantinus à Iustino in Imperium adscitus, eóq; adhuc viuo suscepit. Vir iustus, sapiens, & strenuus, & vtilis Reipub. qui sua liberalitate omnium meruit fauorem. Quicquid longa auaritia Iustinus contraxerat, Tyberius egentibus largitus est, pauperibus largißimos erogans eleemosynas, refragante Sophia Augusta, sed frustrà. Quantò autem plus donauit, tantò plus inuenit. Nam Iustini thesaurum ingentem, & Narsetis thesaurum in Italia, sene quodam monstrante, comperit. Magnam contra Persas assecutus est victoriam: Captiuos omnes abductos Constantinopolim magnificentißimè vestiuit, ac in patriam misit. Quos præter spem rediisse populares admirantes, magnis laudibus principem Romanum commendabant. Cum Longobardis, qui Romam obsidione longa cinxerant, & expugnassent, nisi multitudine imbrium essent repulsi, pacem fecit. Per quorum duces triginta posteà tota Italia administrabatur. Post multa grauia bella in morbum incidens, Mauricium generum filium adoptauit, eíque Imperium administrandum tradidit, æquitatem & iustitiam commendans, præsentibus Ioanne Patriarcha (qui coronam imposuit) & Senatu. Ac paulò pòst vi morbi oppressus, decesßit, Imperii anno VII. relictis ex Anastasia vxore filiabus Charitate, Mauritio, & Constantia Germano nupta. Princeps sanè iustus, largus, & cunctis amabilis.

Altera facies huius Numi refert Imperatoris statuam palleatam, manu

manu dextra crucem,finiſtra globum geſtantem, cum inſcriptione: GLORIA ORBIS TERRAR. Infrà: TESOB.



ANASTASIA Tyberii Conſtantini vxor,duas ei peperit filias, Charitiam, quæ Germano deſponſata, & Conſtantiam minorem, quæ Mauritio Imperatori locata fuit.



MAVRITIVS ex Cappadocia oriundus, Notarius humilis primùm,deinde ob rei militaris peritiã,præfectus excubitorum, Gener etiam Tyberii,ſucceſsit Imperio & Auguſtus factus eſt.Initio Imperii Perſas per legatos fudit: ſed pace cum Perſis firmata, exercitum in Thraciam ex orientalibus locis traduxit,Scythas Mœſia repulit,ſimul & Longobardos.Hunnos quoque cum ſuo Duce Chagano auſpiciis ſui filii Theodoſii & Germani ſoceri Pannoniis eiecit. Multiſque cùm eſſet victoriis illuſtris,præſertim contra Perſas, cunctis tandem poſteà inuiſus factus eſt militibus, ob immenſam auaritiam,qua nihil eſt deteſtabilius in principe. Qui ſua auaritia rapinas, cædes,& homicidia diſsimulabat. Prætereà nulla ſtipendia militibus erogabat,præſertim his, qui Sarmatico limiti contra Scytharum impetum loco ſterili poſiti præerant, difficilia quæque tolerantes, ne

ob auaritiam captiuos à Persarum rege minimo redimeret. Ob id in eius caput conspiratio facta à militibus, & Phocas Imperator designatus est, à quo etiam Mauritius cum tota sua prosapia, Constantia vxore, Theodosio, Tyberio, & Constantino filiis, totidémque filiabus, Chalcedone interemptus est, cùm imperasset annis XX. vixisset LXIII. Vir vtilis Reip. & victoriosus, nisi auaritia labefactasset se, & totam domum. Magnæ etiam patientiæ & fortitudinis exemplum. Cùm enim in conspectu suo, vxor, tres filię, & filii interficerentur, forti animo perferens tantam calamitatem, exclamauit: IVSTVS ES DOMINE, ET RECTA IVDICIA TVA.

In hoc Numismate conspicitur victoria alata dextra Crucem, sinistra ramum ferentes, addita inscriptione huiusmodi: VICTORIA AVG. CC. H. Infrà: CONOB.



CONSTANTINA, Tyberii & Anastasiæ filia, Mauritii Imperatoris vxor, ex quo peperit tres filios, Theodosium, Tyberium, & Constantinum, totidémque filias, qui omnes simul cum patre à Phoca occisi sunt.



PHOCAS Præfectus Scythiæ, per Mauritii cędem, à scelerato

rato exercitu, cui præerat, Imperator electus & Augustus salutatus est. Tanta initio Imperii in nouo principe fuit indoles, talémque se gentibus ostendit, vt multi cum eo pacem sancirent. Sed nec ille auaritia Mauritii admonitus, ab hoc vitio temperauit. Quia longè studiosiùs colligendæ vndique pecuniæ incubuit, omniáque ex Persicæ seruitutis instituto egit, cum suis aulicis secreta tractans, Magistratus & iudicia vendens, charioréſque eos habens, qui inexplebili rapacitate populos vexabant. Vnum hoc sanxit, quod posteri laudarunt, quòd rogante Bonifacio Papa, Romanum Pontificem principem omnium Ecclesiarum declarauit. Cætera adeò socors & ignauus, & frequentibus adulteriis infamis, vt Romanum Imperium vndique Barbari vastarent, & vmbra solùm eius nominis staret. Persæ enim Mesopotamiam, & Syriam occupauerunt, Hierosolymam depopulati sunt, & sanctam Crucem Saluatoris nostri secum abduxerunt, omniáque sacra loca cædibus & incendiis prophanauerunt. Iberos, Armenias, Arabes, Dardanos, & Mediterranea Macedonię, & Thraciæ abstulerunt. In Cappadociam & Galatiam incursiones fecerunt, & ad Chalcedonem sunt depopulati. Nec minùs in Occidente Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, & bona Italiæ pars à Romano defecerunt Imperio. Aegyptum Sarraceni vastauerunt, & castris deletis Romanorum vbique hominum strages magna, simúlque annonæ inopia, & pecorum calamitas, propter principis luxum. Vnde necesse fuit, vt aut nomen Imperii deleretur, aut Phocas occumberet: quod & factum est. Nam conspiratum in eũ est ab Heraclona, & Heraclio, & Prisco, qui captum manibus, pedibúsque truncatis, & genitalibus ob insignem eius libidinem, & capite amputatis, cum priùs interfecerunt, quàm suppetias ferre eius milites potuerint. Sícque scelestissimus & impurissimus princeps, omnibus suis fratribus ac necessariis sublatis, dignum perfidia sua in Mauritium exitum habuit, cùm annos VIII. imperasset.

Monetæ huius pars altera continet coronam ex lauro confectam: in cuius medio hæc verba leguntur: FIDES MILITVM.

LEONTIAM vxorem habuit Phocas, quam post sortitum Imperium Augustam dixit, ex qua filiam Domantiam suscepit, quam Prisco copiarum Præfecto vxorem dedit.



HERACLIVS filius Heraclonę, Proprętor Africę, post interfectum Phocam, suffragantibus militibus, Imperator pronuntiatus est. Et qua die Diadema imposuit regium, etiam Fabiam Eudociam in vxorem duxit. Patre eius Heraclona ex Africa cum magno exercitu in Aegyptum & Asiam proficiscente, medióque conatu in itinere moriente, Persæ metu liberati Africam inuadunt, eámque totam sibi subiiciunt. Contra quos Heraclius fœdere cum Chagano facto, missis pluribus muneribus bellum parat, ac legatis priùs pro impetrandis induciis, missis, contemptui ab his habitus, adeò excanduit, vt differre bellum ampliùs non potuerit. Responderunt enim impii hostes, non prius se Romanis pacem daturos, quàm Christianam abnegassent religionem. Quare ingentibus copiis in Cosroën ductis, qui interim Palæstinam, & totam Iudæam diripiens, passim multos Christianos interfecit, quorum numerus fuisse dicitur nonaginta milia: & victis eius ducibus, & cum omnibus copiis cæsus, mox profligato Cosroë, Persidéque omni in vltionem ferro igníque vastata, Crucem Dominicam ablatam recepit. Pacem etiam cum Persis firmauit, limitémque Persici & Romani Imperii, Tigridem fluuium esse voluit. Et cùm à Mathematicis prædictum sibi fuerat, magnum à circunciso populo imminere periculum, quod ille intelligens de Iudæis, Iudæos, etiam inuitos, Christiano nomini adiunxit, non aduertens quòd & Sarraceni circunciduntur, qui deficientes ab eo occupauerunt Syriam, Damascum & Arabiam, ac vbique Machometi legem sparserunt. In senectute verò Heraclius cepit fidem adhibere aruspiciis & præstigiis Dæmonum. Credidit quoque in Christo vnam esse voluntatem, & hæresi adiunxit incestum fratris sui, filia Martina in vxorem ducta, ex qua Heraclonam sustulit. Ob id nouo cladis genere occubuit, testium scilicet folliculo sursum verso, simul

cum

cum virili membro ſemper tento,adeò,vt quoties meieret, niſi obie-ĉta tabula vmbilico id prohiberet, vultum lotio ſpargeret, Imperii Anno XXXI.

In huius Numiſmatis reuerſo, adparet imago Imperatoris in curru triumphali,& in limbo ſcripta hæc verba latina leguntur: SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVI, ET CONCVLCAVI LEONEM ET DRACONEM. In medio locata ſunt hæc Græca: Δόξα ἐν ὑψίσοις τῷ Θεῷ, ὅτι διέῤῥηξε σιδηροὺς πύλας, καὶ ἐλευθέρωσε ἁγίαν Βασιλεῖαν Ἡρακλίῳ.



FABIA EVDOCIA prima vxor Heraclii, ex qua Epiphaniam filiam & Heraclium paruum, qui & nouus Conſtantinus, ſeu paruus Heraclius appellatus eſt,quem ab ineunte ætate ſacro Diademate adornauit pater,paulóque pòſt Eudocia vita functa eſt.

Aliam vxorem habuit Heraclius MARTINAM fratris filiam, quam Auguſtam dixit. Ex qua genuit Heraclonam,qui & Fabius eſt nominatus,& alium filium Dauid dictum.



HERACLIVS, qui & Conſtantinus iunior, vel nouus dictus,rectæ,& veræ pietatis cultor,Imperium à patre acceptum,

vix annum adminiſtrauit, dolis nouercæ Martinæ, quæ filio Heraclonæ imperium aſtruebat, ſublatus, relictis Gregoria Nicetæ Patricii filia, & Conſtante filio.

Numus hic ex alia parte refert ſtatuam loricatam & paludatam, dextra ſceptrum, ſiniſtra haſtam gerentem, cum inſcriptione: PRINCIPI IVVENTVTIS.



HERACLONAS Conſtantino iuniore ſublato, cum matre Martina Imperium arripuit: Sed ambo conſpiratione Senatus, ante biennium capti, & in exilium Cappadociam miſsi ſunt, præciſa matri lingua, ne oratione, qua plurimùm valebat, populos commoueret, & puero abſciſſo naſo, ne decor aut gratia commiſerationem faceret.



Aliud Numiſma, cuius poſterior facies continet Crucis imaginem, quatuor gradibus inſiſtentem, cum inſcriptione: VICTORIA AVG CC. Infrà: CONOB.

CONST



CONSTANS, qui & Constantinus tertius, filius Constantini noui, seu iunioris ex Gregoria, sine militum suffragio, admittente Senatu, qui Martinæ scelus execrabatur, Imperator electus, & creatus est. Hic auitæ impietatis sectator, Martinum Episcopum Romanum sibi aduersantem captum in Chersonesum relegatum fame mori coëgit, multósque alios rectę fidei homines, qui opinioni suæ de vnica in Christo voluntate, assentire nollent, interemit. Cum Sarracenis, qui receptis viribus, omnia loca Asiæ minoris vastabant, insulámque Rhodum recipiebant, celeberrimum ibi Colossum destruentes, classe congressus, victus aufugit, tanta Romanorum strage edita, vt ex eorum sanguine mare colorem rubeum traxerit. Qua victoria Sarraceni elati simul de Imperio cogitare cœperunt, & dissensione orta inter eos de Duce belli, per biennium inducias Constans impetrauit. Italiam cum maximo equitum & militum numero ingressus, vt eam à Longobardico iugo liberaret, magnam in ea sæuitiam exercuit. Victus à Longobardis acie, Romam aufugit, ac in ea quinque dies lustranda consumens, quicquid antiqui operis, signorum ex auro, argento, ære, aut marmore fuit, quod delectare oculos potuit, id omne vi auulsum, inde sustulit, & ad naues ferri iussit, plúsque ornamentorum paucissimis diebus detraxit, quàm Barbari per CCLVIII. annos. Vrbe sic spoliata, in Siciliam traiiciés, cùm sextum ibi annum ageret, & auarè & crudeliter tributum exigeret, & molliter ac libidinosè ibi versaretur, à ministris suis in balneis interfectus est, cùm regnasset annos XXVII.

Alterum latus huius Numi habet muliebrem statuam, insidentem scuto, & rostrum nauis pedibus calcantem, dextra globum, sinistra hastam ferentem, adiecta inscriptione huiusmodi: VOTA MILIT. XXXX. Subscriptum: CONOB.

CONSTANS vxorem habuit, cuius nomen non inuenitur, ex qua tres filios Constantium, Heraclium & Tyberium sustulit.




In huius Numismatis parte posteriore, corona quædam lauro contexta, conspicitur: in cuius medio hæc scripta leguntur: VOT. XXX. MVLT. XXXX.

Aliud Numisma in alio latere repræsentat suggestum quasi, ad quem ascenditur per quatuor gradus. In eo Crucis imago est posita. Inscriptio eiusmodi habetur: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.




CONSTANTINVS, Constantis filius, natu maximus, CONSTANTINVS BARBATVS vulgò dictus, successit patri in Imperio. Cuius morte audita, in Siciliam venit, vltúsque Mizizium tyrannum, & cædis paternæ conscios, bellum cum Sarracenis in Siciliam, Græciam & Thraciam irruentibus VII. annos terra maríque feliciter gessit, tributum eis annuum imponens. Contra Bulgaros & Scythas finibus egressos, & tumultuosiùs Thraciam adortos, omniáque terroribus complentes, infeliciter pugnauit. Verùm

rùm inopinata illi pace oblata, fœdus cum illis percußit, concessa illis vtraq; Mysia, & annuo tributo promisso. Constantinus autem morbo correptus, cùm annis XVII. imperasset, obiit, tradito per manus Imperio filio Iustiniano iuniori, fratribus suis Heraclio & Tyberio dudum occisis, ne ad Imperium quandoq; aspirarent. Sexta hoc principe veræ pietatis celebrata est Synodus Constantinopoli, Agathone Pontifice suadente, ducentorum & amplius Antistitum, condemnatúsq; error Monothelitarum, qui asseverabant in Christo vnam esse voluntatem: permisśúmq; est Græcis sacerdotibus habere vxores.

In hoc Numismate continetur victoria alata, dextra Crucis imaginem gerens, cum inscriptione tali: VICTORIA AVG.



MIZIZIVS in Sicilia Tyrannidem sub Constante inuaserat, sed à Constantino Pogonato in Siciliam veniente, regno exutus, & interemptus est.


Aliud Numismatis latus continet coronam lauream: in cuius medio est inscriptio: FIDES MILIT.



IVSTINIANVS minor, quem nonnulli, IVSTINVM TER-

TIVM nominant, filius Constantini quarti, & Anastasiæ, vltimus stirpis Heraclianæ, Adolescens XVI. annorum, Imperium adeptus est, & ob id propriis consiliis vsus, maxima incommoda Romano nomini attulit. Contra Sarracenos & Arabes infeliciter pugnauit. Pacem cum Bulgaris à patre constitutam, nulla necessitate rupit, ac vtramque Mysiam ferro flammáque vastauit. Sed Bulgaris obstruentibus saltus locorúmque angustias, eum ad quiduis, quod voluerunt, coëgerunt. Reuersus deinde Bizantium, maximis incommodis affecit ciues. Synodum aduersus sextam à patre celebratam, indixit, bonis omnibus aduersantibus, & in primis Ro. Pōtifice, quem cōprehendi mandauit. Quare & crudelitate etiam in suos inuisior factus, cōspiratione in eum facta, Leontii patricii, & Galinici patriarchę dolo, ex aula deturbatus est, amputatisq; naribus, Chersonam est relegatus. Vnde mox fugiens, ad Trebellium Bulgarorum regem venit, à quo acceptus, armísque protectus, Imperio restitutus est, Leontio & Tyberio Imperatoribus interfectis, & Galinico Patriarcha luminibus priuato. Ipse verò dolori suo nimiùm indulgens, quoties truncas emungebat nares, toties vnum ex iis, qui Leontio fauerant, ad supplicium rapi iubebat. Cúmque flagitiosior indies fieret, & plurimos passim interficeret, à Philippico pulsus, vitam & Imperium pariter amisit, VI. anno post exilium, cùm X. anteà imperasset.

In huius Numi facie altera duo Imperatores palleati adparent corona ex margaritis confecta, in cuius superficie Crux est, ornati, dextra globum, in quo Crucis signum conspicitur, tenentes. Inter vtrumque verò imago Crucis talis ✝ infixa quatuor gradibus, cernitur, cum inscriptione tali: VICTORIA VCGΔ. Sub Cruce hoc legitur: CONOB.



THEODORA Chagani filia, Iustiniani vxor, quem missis legatis

in

in Cæfarium, cùm Imperium recuperaffet, ad fe vocauit, Auguftámq; appellauit. Ex ea filium Tyberium genuit.





LEONTIVS, vel LEO II. patricius Conftantinopolitanus, Dux aduerfus Mardaitas, à Iuftiniano miffus Iberiam, Alaniam, & nonnullas terras recepit. Ac ob fufpicionem affectati Imperii, à Iuftiniano II. annis inclufus fuit. Emiffus verò & Græciæ Dux conftitutus, fracto carcere, magnóque captorum numero liberato, ab illis fauftis acclamationibus Imperator denuntiatus eft, fufceptóque Imperio Iuftinianum Imperio deturbauit, & amputatis naribus in Cherfonam relegauit, auxiliante etiam Galinico Patriarcha. Claffe aduerfus Arabes Africam occupantes ingenti parata, cùm infecta re rediret à Tyberio regno pulfus, truncatis naribus in carcerem coniectus eft, ac poftea à Iuftiniano è vinculis eductus, cum Tyberio per forum & Theatrum ab equis raptus, atque ad eius pedes detractus cùm ceruicibus prefsis calcaffet, in Cynegeppio, fpectante populo, interfectus eft, cùm triennio imperaffet.

In hoc continetur Numifmate victoriola alata, dextra imaginem Crucis, finiftra palmæ ramum ferens, cum infcriptione: VICTORIA AVG.

TYBERIVS, dictus alio nomine ABSIMARVS, ab exercitu in Africa tumultuosè Imperator electus, qui fubitò prius, quàm Leontius exercitum pararet, Conftantinopolim profectus eft, cum delectifsimis militibus. Byzantio potitus, Leontium in poteftatem redactum, truncis naribus in vincula coniecit. Qui dignitate & honoribus fub Leontio floruerunt, eos omnibus bonis priua-

uit, & in exilium misit. Fratrem Heracliũ equestrium & pedestrium copiarum Ducem constituit, eúmque aduersus Agarenos in orientis loca misit, Philippicum nobilitatis præcipuæ, Chersonam relegauit, quòd Aquila caput obumbrasse videbatur dormienti. Cæterùm VII. pòst anno cum Leontio captus, à Iustiniano interfectus est.


Moneta hæc ex alio latere continet coronam lauream, in cuius medio Crucis imago adparet, subscriptum: CONOB.



PHILIPPICVS, BARDANIVS cognomento, filius patricii Nicephori, de nobili familia, cuius auxilio Tyberius Absimarus ad Imperium peruenit, & posteà ab illo in Chersonam deportatus, eò quòd per somnum visum fuerat caput eius superiectum Aquilæ inumbrari, vt eum procul ab omni ipse potiundi Imperii repelleret. Vbi cùm Chersonensibus longa consuetudine esset charus, contra Iustinianum bellum vltimum mouentem ab illis Dux electus est, ac Ducibus Iustiniani statim victis, ipse cum classe & vniuersis copiis Constantinopolim petit, Iustinianum cum filio subegit, eósque occidit. Ac Imperio potitus, Sextæ Synodi decreta altera Synodo infirmare contendit, gratificaturus monacho, qui de principatu obtinendo illi præsagium fecerat, hoc prædictionis præmium petenti. Quare cùm eloquẽtiæ multùm huic inesset, sapientiæ parum, opésq; Imperii iam pridem congestas dissiparet, passus etiam Bulgaros Thraciam populari, edictóq; sanxerat, vt sanctorũ statuæ & imagines ex omnibus templis raderentur, ab Arthemio oculis priuatus, regnóq; expulsus est, cùm regnasset annum I. & dimidium.

In hoc Numismate conspicitur Crucis imago, insistens quatuor gradibus, cum inscriptione, VICTORIA AVGG. H.

ANAST



ANASTASIVS II. cognomento ARTHEMIVS, cùm Philippicum in ordinem redegiſſet, ei ſucceſsit in Imperio, vir tam in ſermone cunctis affabilis, quàm in operibus iuſtus, & apertus, magnæ experientiæ & bonitatis. Conciliorum Rom. approbator, & acerrimus orthodoxæ fidei propugnator. Hic cùm exercitum miſiſſet contra Sarracenos, Chriſtiani nominis hoſtes, in Aegyptum, Claſsiariis quibuſdam contumaciùs agentibus, qui illum oderant, domum reuerſi, Theodoſium ignobilem aliòqui virum Imperio præficiunt, captáque Conſtantinopoli, ne de Imperio cogitare poſſet amplius, in monaſterium incluſus eſt, cùm annum I. menſes III. imperaſſet. Sed cùm ambitionis ſtimulo correptus, denuo auxilio Bulgariorum Imperium rurſum recipere contenderet, à Leone III. occiſus eſt.



THEODOSIVS III. cognomento ADRAMYTTENVS, Conſtantinopolitanus, obſcuro licet loco natus: vir tamen facilis, pius ac benignus, cui mira aliòquin comitas, & ad promerendam gratiam, ingenium fuit. Pluribus animi dotibus breui effecit, vt omnibus eſſet æquè charus, orthodoxę fidei obſeruantiſsimus. Diuorum imagines à Plilippico ſublatas templis reſtituit, illam ve-

nerandam potisſimùm, in qua ſanctæ ſynodus erant depictæ. Nec pœnitendum egiſſet Imperatorem, ſi diutiùs illi per Leonem Imperatorem licuiſſet. Nam à Leone regia ſella deiectus, monaſticam vitam eſt amplexus, ac felix in ea vixit, cùm annos II. imperaſſet.



L E O III. Iſaurus adeò obſcuri nominis, vt ſedentariam exercuerit. A Iuſtiniano contra Alanos & Aſmagos miſſus, aliquandiu ibi ſtetit, & reuerſus Dux orientis creatus eſt. Sed poſteà Theodoſium Imperio priuans, adeptus eſt ipſe Imperium. Vir cùm aliis ſceleribus pollutus, tū verò impietate in Deum, cuius imagines & ſimulacra templis eiecit. Vnde illi cognomen fuit ΕΙΚΩΝΟΜΑΧΟΥ, & ΘΕΟΜΑΧΟΥ, quarum perdendi tantus eum inuaſerat ardor, vt duobus Iudæis, qui illum imperaturum antè prædixerāt gratificaretur, & Conſtantinopolitanum pontificem, Germanum nomine, aduerſantem ſede extruſerit, & Rom. Antiſtitem Gregorium obſiſtentem comprehendi iuſſerit. Qui eum anathemate notauit, animúmque ſuum ab eo alienauit, & tributa ſolita non ei, ſed Francis, quibus adhæſit, tribuit. Hoc principe multis cladibus Italia, & cætera Imperii loca ſunt grauiter affecta. Sarraceni Conſtantinopolim triennali obſidione, Ducibus Maſgalda & Solimano terra maríque fatigarunt. Verùm peſte faméque confecti, à Bulgaris etiam ſæpe victi claſſe magna ex parte igne ſub aquis ardenti conſumpta, paucisſimis ex tanto naufragio ſeruatis, manifeſtam in ſe numinis iram ſenſere. Nec minori clade in vrbe ſæuitum, trecentis & amplius milibus ciuium peſte faméque confectis: Bithynia Thraciáq; graui terræ motu cōſciſſa. Muri Byzantii magna ex parte collapſi. Quibus tamen rebus flecti animus impii principis non potuit: ſed in omni ſæuitia imperans anno XXIIII. Imperii, dyſenterio fluxu miſerè animam efflauit, relicto Conſtantino filio, quem dudum cōſortem regni effecerat.

In

In hoc adparet Numiſmate corona laurea, in cuius medio ſcriptum eſt: VOT. XXXX. Infrà: TES.

Mariam vxorem habuit Leo, quam in magna eccleſia, adſtante omni populo coronauit, Auguſtámq; dixit, ex qua Conſtantinum filium genuit.



CONSTANTINVS filius Leonis Imperatoris, cognomento COPRONYMVS, quòd infans Baptiſmi lauacro admotus, media ceremonia aquam ſacram, ventris ſolutione maculauerit, paternos mores imitatus eſt, impio patri ſceleſtiſsima ſuccedens proles. Hic nō ſolùm patris impietatem in abolendis Diuorum imaginibus, æquauit, verùm etiam grauiore ſcelere reliquias eorum aut contempſit, aut combuſsit, maleficus, Magicíſque vanitatibus ad inſaniam vſque deditus, nullo ſcelere abſtinens, non Chriſtianus, non Græcus, non Hebræus, ſed omnis impietatis mancipium. Nobiliſsimos quoſque è medio tollendos curauit. Antiſtites Conſtantinopolitanos priùs ignominioſè habitos, grauitérque excruciatos capite puniuit. Bulgaricum variante fortuna bellum terra maríque geſsit. Artabaſdum primæ nobilitatis hominem, Imperatorem ab Orthodoxis creatum, captum, oculis & liberis priuauit. Sub eo Italia afflicta eſt ab Aeſtulpho Longobardorum Rege, & peſtis Byzantii graſſata eſt more inaudito. Terræ motus prætereà adeò afflixit Palæſtinam & Syriam, vt magna multitudo oppreſſa periret. Tam aſpera etiam hyems fuit, vt non modò flumina, ſed Pontus & Boſphorus ipſe Thracius perglaciauerit. Deſiit quoq; Græcorum Exarchatus eſſe in Italia, & Rom. Pontificis eſſe cepit. Nam Pipinus hæc loca omnia Pontificis fidei promiſit, & poſteà Carolus magnus, eius filius, eccle-

ſiæ donauit. Cõſtantinus verò poſt infinita flagitia, Elephãtico morbo correptus, exquiſitiſsimóque cruciatu conſumptus obiit, Imperii anno XXXV.

Numiſmatis huius alterum latus repræſentat Imperatorem dextram eleuantem, ſiniſtra aquam ferentem, vtrinque collocatis ſignis militaribus, cum inſcriptione: PRINCEPS DES. Infrà XXI. B.



LEO IIII. Conſtantini Copronymi ex Cazara filius, paternæ impietatis non minus, quàm Imperii hæres ac ſucceſſor, omnia paterna imitatus vitia, aduerſante matre Bulgarici ſanguinis pientiſsima, licet ab initio ſimularit religionem, Monachos in honore habens, Pontifices ex illis creans, & dignitates quaſdam illis conferens, impietati adiunxit ſacrilegium. Nam coronam auro & gemmis contextam, à Mauritio principe DEO OPT. MAX. dicatam detraxit, & nefario capiti impoſuit. Vnam omnino expeditionẽ fecit in Syriam. Vnde leui certamine repulſus, domum rediit, paulóque pòſt apoſtemate carbunculi in capite innato, & ardentiſsima febri ſecuta, interiit, cùm vix annum regnaſſet.

Numiſmatis huius pars poſterior habet coronam lauream, in cuius medio hæc ſcripta continentur: VOT. XXXX.

IREN



IRENE Athenienſis, vxor Leonis IIII. ex qua filium Conſtantinum genuit. Imperium aliquandiu pro Conſtantino filio adhuc puero adminiſtrauit. Mulier profectò in rebus Imperii admini ſtrandis viro & ſocero Conſtantino multò prudentior. Ad hæc tam forma corporis, quàm morum ſanctitate inſignis.



ARTABASDVS obſcuri generis homo, ſed ob virtutes, & rectam fidem, tam Senatu, quàm militibus gratus, in odium Conſtantini ab orthodoxis Imperator creatus eſt. Hic ſanctorum imagines reſtituit, atque Conſtantinopolim contra abiectum Imperatorem muniuit. Sed à Conſtantino ex Calcedone traiiciente obſidione cinctus, locatis caſtris prope mœnia vrbéq; oppugnata captus, filiis oculíſque priuatus eſt.

In altero latere conſpicitur victoria alata, dextra Crucis imaginem geſtans, cum tali inſcriptione: VIRTVS AVG. Infrà: CONOB.



CONSTANTINVS Leonis IIII. filius, in Imperio patri succefsit. Sed cùm adhuc puer esset x. annorum, mater Irene Augusta pro eo Imperium suscepit administrandum, fœmina Attici sanguinis, forma eleganti, sed probitatis opinione insignior. Huius opera, veteri religioni suus nitor, & vetus est reddita pietas, & imagines in templo repositæ sunt. Septima etiam Synodus conuentu CCC. & L. patrum Niceæ celebrata est. Quandiu autem Constantinus matris Imperio obtemperauit, ritè omnia domi forísq; se habuere. At vbi pubertatis annos ingressus est, matrem haud vlterius passus, administratione deiecit, & atrociter Imperium administrauit. Ob id suffragia multi Nicephoro ferebant, eúmque imperare cupiebant. De quo Constantinus certior factus, Nicephorum patruum suum, lingua & oculis priuatum, in vincula coniecit. Mater verò filii impietatem exosa, simul dominandi libidine mota, Duces donis onerauit, vt filium iugularent. Qui paratis insidiis, eum capiunt oculósque effodiunt, eodem die, quo ille ante v. annos Nicephorum excęcauerat, ac in vincula coniiciunt. Ille luctu & mœrore confectus, paucis pòst diebus expirauit. Et mater à filio expulsa, in pristinum statum à ciuibus est restituta, Annísque III. sola Imperio prę-fuit. Cum Carolo Magno amicitiam & fœdus iniit, déque Imperii finibus egit, connubium etiam ei deferens. Quare insidiæ contra eam sunt motæ: regnóque expulsa, in exilio reliquum tempus egit. Huius tempore lamina ænea in arca lapidea inuenta est his verbis:

Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ Παρθένου: καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν. ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης τῶν βασιλέων, πάλιν ἥλιε ὄψει με. Hoc est,

Christus nascetur de virgine: in eum credo & Constantini & Irenes Imperatoribus, ô Sol iterum me videbis.

In

In hoc Numiſmate conſpicitur muliebris ſtatua, dextra haſtam, ſiniſtra Cornucopiæ ferens cum inſcriptione: TEMPORVM FELICITAS.



Numi huius alterum latus refert Imperatorem Conſtantinum loricatum & paludatum, corona ex lapidibus pretioſis ornatum, & matrem Irenen longiore veſte indutam, cingulo ex margaritis confe-ćto circundatam, globum cui imago Crucis impoſita, tenentes, addita inſcriptione huiuſmodi: GLORIA IMPERII ROMANI.

MARIA Conſtantini Imperatoris vxor, optima fœmina, ob nullam cauſam à marito in monaſterium eſt detruſa.



NICEPHORVS dolo Imperium Orientale occupauit, pacémq; cum Carolo Imperatore fecit, vt ſcilicet in has conditiones iretur, Ambo Auguſti, fratréſque dicerentur, Orientis alter, alter, Occidentis. Item in Italia hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid vlterioris Italiæ in mare procurrit, cum ſuis è regione inſulis à Græco reliquum à Franco Imperatore iura peteret. Inter duo Imperia

medius finalisque cardo Venetiæ, Imperii maiestatem piè conseruarent, neutri se addicerent, propriis vterentur legibus, vtriusque essent Imperii amici, & pace & bello neutrius censerentur. Cæterùm aduersus Persas bellum suscipiens, valde infeliciter, & cum graui suo damno pugnauit, coactus dare ad singulos annos XXXIII. milia numorum aureorum. Quam summam pecuniæ volens à Bulgarorum rege emungere, illum bello petiuit: sed tandem ab hoste obtruncatus est, cum multis aliis insignibus viris.

In huius Numismatis altera parte adparet victoria alata, dextra imaginem Crucis, sinistra ramum palmę ferens, cum inscriptione tali: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.



STAVRATIVM filium in vita sua consortem Imperii fecit Nicephorus, hominem turpis formæ, & simplicis ingenii. Vnde & paulò post mortem patris Imperio deturbatus, tonsis capillis, monasterio est inclusus, postquàm cum patre imperasset annos IX.

In hoc Numo continetur statua loricata & paludata, dextra sceptrum, sinistra hastam gerens, cum inscriptione: PRINCIPI IVVENTVTIS.

MARIA Nicephori Imperatoris vxor.

THEOPHANIAM Athenæam Irenes Reginæ affinem, quæ iam alteri viro desponsata fuerat, Nicephorus vi eripuit, filióq; Staurατio contra ius & fas copulauit. Quæ post mortem Stauratii cùm sibi comam totunderat, nigrámq; vestem induerat, à Michaële Imperatore magna donata est pecunia.

MICH



MICHAEL CVROPALATOS, cognomento BANCABE, gener Nicephori, regali diademate à Patriarcha Nicephoro insignitus est. Vir ingenii liberalis, & syncerae fidei, pacis studiosus, pius in Christianam religionem, sed in rebus bellicis socors & infelix. Cum Carolo Francorum Rege ita foedus iniit, vt Veneti suis legibus ac iure viuerent, immunitate his seruata, quam ad eam diem in Italia retinuerant. Contra Bulgaros Thraciam vastantes, expeditionem mouit. Sed seditione in exercitu mota, autore Leone Orientis Duce, qui ad Imperium aspirabat, copiae eius fugatae, magnáque ex parte caesae sunt, atque leo Imperator designatus. Quo accepto nuntio, ita concidit animo, vt monasterio se abdiderit, habenas regni facilè concedens, post annum IIII. Imperii.

Latus alterum Numi huius repraesentat victoriam dextra crucem tenentem, cum inscriptione: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.

Procopiam Nicephori filiam, postquàm Imperator pronuntiatus est, duxit in vxorem, eámq; Augustam coronauit, & filium suum regio diademate insigniuit.



CAROLVS MAGNVS, Pipini Regis Fran-

corum, & Berthæ filiæ Heraclii Constantinopolitani Cæsaris filius, in villa Ingelheym, duobus milibus passuum à Magontiaco distante, editus. Defuncto patre, concordi consensu in demortui locum subrogatus est, quòd paternam auitámque æmularetur virtutem. Sub initia regni bellum gessit Aquitanicum, alterum Longobardicum ab Adriano Pontifice in Italiam vocatus, in quo Longobardorum regnum capto eorum rege Desiderio, Francico nomini subegit. Saxones sæpius rebellantes triennali tandem bello vicit, eósque ad Christianam religionem assumendam coëgit. Sarracenos Hispaniam ferè omnem vastantes, domuit. In Franciam rediens, Vasconum insidias passus, non paucas ex suis, & in his fortissimum quemq; amisit. Sclauos, Danos, Bauaros, Bohemos tumultuantes in suam ditionem redegit. Iterum Italiam ingressus, Beneuentanorum ducem Aragisum Longobardorum reliquias fouentem, ad officium coëgit. Hunnicum bellum VIII. pòst anno felicissimè confecit, expugnata eorum regia, & Thesauris opulentissimę omnium gentis asportatis. Inde Leonis III. Pontificis vindicaturus iniuriam, tertiò ingressus est Italiam, ac Romam veniens, in die Natalis Saluatoris, in Templo à Pontifice coronatus, Imperator & Augustus ab vniuerso populo Rom. pronuntiatus est, vnctúsque, abolito patricii nomine, quo priùs vtebatur, Imperator appellatus est, Anno regni sui XXXIII. Salutis nostræ DCCCI. Compositis Italiæ rebus, & partito cum Irene Imperio, in Gallias rediit, filióque Ludouico consorte Imperii declarato, dum Aquisgrani hybernaret, pleuritide correptus, quã febris concomitabatur, mortuus est V. Calend. Febr. anno Redẽptionis DCCCXIIII. ætatis suæ LXXI. Imperii XIIII. Regni verò XLVI. Princeceps pacis bellíque æquè studiosus, eminente statura, oculis prægrandibus, & vegetis, canicie pulchra ac hilari facie, habitudine corporis tota virili, insigni pietate, beneficentia singulari, humanitate quanta in superiorum principum nullo, bonarum artium studiosissimus, Latinæ & Græcæ linguæ doctissimus, Parisiense Gymnasium, & Papiense viris vndecunque eruditissimis accersitis, extruxit, veræ religioni ab infantia deditissimus. Summa pietate Antistites, Sacerdotes, clerúmq; vniuersum coluit, Templa & Monasteria fundauit, ac muneribus magnis locupletauit, liberalis, misericors, & in egenos munificus. Vxores habuit plures legitimas, Galienam Galastrię regis Tholetani in Hispania filiam, Alteram Hirmingardim, Desiderii Longobardorum

dorum Regis filiam,quam repudiauit.Tertiam Hildegardim Hildebrandi Ducis Sueuiæ filiam,ex qua tres filios,Carolum, Pipinum,& Ludouicum,totidémque filias sustulit.Quartam Fastradam de nobili Francorum prosapia Katolii Comitis filiam, ex qua tulit filias Theodoram & Hiltrudim.Vltimam Luitgardam de Sueuorum genere,de qua liberos non habuit.

Posterior Numismatis huius facies continet Imperatorem loricatum & palleatum, trophæis insidentem, & victoriam à tergo stantem coronam illi imponentem. Aliam quoque statuam muliebrem vestitu sublongo,varia armorum genera ad pedes Imperatoris posita face accendentem,cum tali inscriptione: PAX ORBIS TERRARVM.



LVDOVICVS Caroli Magni & Hildegardis filius, Pius cognomento dictus, quòd religioni Christianæ, cuius fuit studiosissimus,multùm detulit,mitissimi ingenii,& morum mansuetudine,cunctis amabilis. Puer penè Aquitaniæ principatum, iussu patris obtinuit, præclaros labores aduersus Hispanorum Tyrannos suscepit. Post patris obitum, à regni proceribus Aquisgrani Imperator salutatus est. Vbi diuersarum nationum primò legatos audiuit, partímque cum eis pacem sanxit,partim cum aliis veterem instaurauit.Inde Dacicum bellum ex sententia confecit, nec multò pòst Bernardum ex Pipino filio nepotem,in Italia res nouas molientem, capitali pœna affecit: in Antistites rerum nouarum mitiùs egit, inclusos cœnobiis, vita donauit. Et cùm Britones reliquósque pacis perturbatores compressisset,à filiis,quòd in longiorem ætatem vita eius protraheretur,& quòd Iuditham alteram vxorem, mulierem procacem, duxisset, captus in monasterium diui Medardi Suessione vnà

cum filio iuniore Cardo detrusus est. Sed tumultuante optimo quoq; inuitis filiis Imperator custodia eductus, pristinæque dignitati restitutus est. Qui Iuditham vxorem ex Italia exilio redeuntem, recepit, atque filio eius Carolo Aquitaniæ regnum tradidit, Lothario verò Imperium commisit. Ac non multò pòst decesit Maguntiæ, Anno Christi DCCCXL. cùm imperasset annis XXVII. vixisset LXIIII. Sepultus Metis in monumento Hildegardis matris.

In hoc Numismate adparet corona laurea, in cuius medio hæc verba leguntur: VICTORIA AVG.

IVDITHAM vxorem habuit, filiam Vuelffonis primi Comitis Altorfensis in Sueuia: Mulierem forma insignem & ingenio præstantem, ex qua sustulit filium Carolum.



MICHAEL BALBVS ex humili ac sordido genere natus, THRAVLVS cognominatus, quia balbutienti lingua erat. Vir summæ impietatis, & à pueritia corruptis moribus institutus, totus impius, Christi religionem, quantum potuit, subuertere studuit. Post interfectum Leonem, à quo ad tantam fortunam euectus erat, Thomam virum quendam obscurum, qui tamen se Constantinum appellari iusserat, tyrannidémque inuaserat, vario primùm rerum euentu oppresit, defectionísque socios, cum ipso Thoma sustulit. A Sarracenis ex Africa profectis, Cretámque insulam occupantibus, duplici prælio victus est. Ac cùm annos octo, & menses nouem crudelissimè imperasset, Imperio Theophilo per manus tradito, profluuio ventris decessit.

Latus alterum huius Numi repræsentat statuam mulieris palleatam

tam,expanſas manus habentem,inſcriptione eiuſmodi addita: LAETITIA AVG.



THEOPHILVS filius Michaëlis Thrauli Imperium poſt patrem aſſecutus eſt, Vir maiori quàm pater iuſtitia, quippe qui facillimum ſe ſtatis diebus adeuntibus exhiberet, & ad ſeueritatem interdum propenſior, acriùs delicta puniret: ſed pari cum patre impietate, vt qui Diuorum imagines ex paterna æmulatione auerſatus, non paucos, qui eas colerent, ad mortem cædi iuſſerit. Sarracenis Aſię prouincias vaſtantibus bis congreſſus, bis victus eſt, caſtriſque exutus. Vnde in tantam animi venit anguſtiam, vt iam multos dies ab omni cibo abſtineret, ſolo frigidiſsimo aquæ potu vſus, ac in dyſenteriam incidens, tandem efflauit animam, cùm annos XII. imperaſſet.

In hoc continetur Numiſmate victoria dextra imaginem Crucis ferens, addita inſcriptione: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.



LOTHARIVS Ludouici Pii maximus natu ex Hermingarda filius, viuo patre, præter Italiæ regnum Galliam Narbo-

nensem,& Imperium assecutus est,Carolo Gallia omnis,cum Mosa, Ludouico Germania cefsit. Sed defuncto patre, ea fratrum concordia non diu permansit. Nam Lotharius & Ludouicus maximo aduersus Carolum comparato exercitu, eò quòd Carolus nobilioris paternæ possessionis hæres à patre institutus esset, in ipso resurrectionis Domini die, infestis signis ad Fontanicum Altisiodorensis agri vicum concurrêre, in qua Carolus superior euasit, ac tot milia vtrinque cecidêre,vt conuulsæ sint propè Imperii vires,ac tota nobilitas Francica ferè periret. Et cùm bellum repararent,iterum victi pacem petierunt.Quæ his conditionibus data,vt Carolus Rex Franciæ, Ludouicus Germaniæ Rex diceretur, omnémque Germaniam vsq; ad Rheni fluenta posideret,cum nonnullis adiacentibus ciuitatibus & pagis trans Rhenum ob vini copiam admodum acceptis :Lotharius verò Galliam Belgicam,regnum Prouinciæ, & eam portionem terræ, quæ ab eo Lotharingia est dicta, acciperet, cùm iam Italiam posideret.Pipinus,Nepos eorum,ex Pipino fratre in monasterium detrusus est. Lotharius verò Imperator partitus filiis regna,Ludouico in Imperii consortem adscito,concessa Lothario Austrasia, & Lotharingia, Carolo verò Prouinciæ regno, tædio rerum aduersarum, monasticam vitam in Monasterio Prumia secutus est,postquàm imperasset XV. annos.

In monetæ huius parte altera conspicitur victoria, dextra imaginem Crucis,sinistra hastam tenens,inscriptione adiecta: CONCORDIA MILITVM.

Hermingradis matrona nobilis & pudica Lotharii vxor, cui tres filios peperit,Ludouicum,Lotharium & Carolum,qui triennio ante patrem diem obiit.



LOTHARIVS filius Lotharii Imperatoris, defuncto patre

patre & fratre Carolo Austrasiam, Lotharingiam & Transiurensem Burgundiam obtinuit. Vxorem deinde duxit Thietbergam sororem Hugberti Abbatis, cuius consuetudine pertæsus, ob amorem Vualdradæ concubinæ, diuortium autoribus Episcopo Coloniensi, Gunthario, & Thietgando Treuerensi Episcopo, consecutus est, concubina in torum coniugalem illata. Quod ægrè ferentes Thietbergæ Reginæ fratres, Nicolao summo Pontifici conquesti sunt, qui vtrumque Episcopum dignitate priuauit, & Anatemate notauit. Lotharius quoque communione piorum priuatus, cùm Romam post obitum Nicolai Pontificis ad Adrianum venisset, vt se ab Anathemate liberaret, simulata pœnitentia, corpus Eucharistiæ ex manibus summi Pontificis, cum sua nobilitate accipiens, in reditu ex vrbe oppressus morbo, Placentiæ diem suum clausit vltimum.

Numi huius facies altera refert statuam Imperatoris loricatam, & paludatam, dextram eleuantem, sinistra imaginem Crucis gerentem, interq; duo signa militaria stantem, cum inscriptione: PRINCIPI IVVENT.



MICHAEL Theophili filius, Imperium cũ matre Theodora suscepit. Per hanc Imperatricem imagines Diuorum restitutæ sunt, & omnes ab exilio reuocati, qui sub Theophilo pertinaciter imaginum cultum defendere ausi sunt. Cum Bulgaris pacem nouam firmauit, sorore Regis Bulgarorum reddita: per quam Rex cum omnibus subditis, ad pietatem Christianam est conuersus. Michaël autem adolescentiam ingressus, matre Imperio cedente, vitámque Monasticam eligente, regni negotia solus tractauit, ac immensas diuitias à matre ex ærario depromptas, argenti, scilicet, tria milia pondo, auri mile & nongenta centenaria, cum mimis, adulatoribus, auri-

gísque statim abliguriuit. Irruentibus subinde bellis, & Agarenorum incursionibus, nulla re à cursu equorum, in quem omne studium collocauerat, auocari potuit. Cùm verò magis ac magis insaniret, vinóq; & ebrietati studeret, ebrius in lecto à Basilio Macedone, quem consortem Imperii adsciuerat, confossus est, cùm imperasset annos XIIII. cum matre, & XI. solus.

In Numismatis huius altera parte adparent duæ statuæ, inter vtranque Crucis imago, quatuor gradibus insistens posita est, infrà subscriptione addita: CONOB.



LVDOVICVS II. Lotharii Imperatoris ex Hermingarde primogenitus filius, à patre consors ad Imperium adscitus, trium filiorum maximus natu, & à Sergio Pontifice Romæ coronatus est. Princeps perhumanus, pius ac iustus, candida simplicitate, pupillorum & orphanorum tutor singularis. In literis tam diuinis, quàm secularibus satis instructus, consilio promptus. Contra Sarracenos ex Africa venientes, Beneuentum aggredientes, ac vniuersam penè regionem illam cædibus, incendiis, ac rapinis depopulantes, fratre Lothario in auxilium vocato, pugnauit fortiter, & feliciter. Lucaniam, Samnium, & Capuam, quæ defecerant, in deditionem recepit. Adalgisi Ducis petitus insidiis, iisque detectis nunquàm se Beneuentum rediturum, nec iniuriam hanc vlturum promittere iuramento adactus est. Sed à Rom. Pontifice Ioanne iuramento solutus, Adalgiso fuga elapso, de cæteris supplicium sumpsit. Compositis verò vndique rebus, cùm annos XIX. præfuisset Imperio, Mediolani mortuus est.

Monetæ huius pars posterior continet muliebrem statuam sellæ insid

insidentem, dextra Caduceum, sinistra Cornucopiæ tenentem, cum inscriptione: FELICITAS PVBLICA.

LVDOVICI vxoris nomen neque familia inuenitur. filiam tamen Hermingardim, habuisse constat, quam Carolus Caluus Imperator succedens, consobrino suo Bosoni despondit, eique in dotem Prouinciæ regnum dedit.




BASILIVS, homo obscurus genere, & captiuus inter venales, Constantinopolim olim adductus, in pueritia spem futuri regis dedit. In regiam primùm receptus, Protostrator factus, ac paulò pòst Cubicularius regis Michaëlis, ab eo ipso Rex creatus est, tradita ei in matrimonium Eudocia filia Inceris. Cùm verò Michaëlem vnà cum coniuratis occidisset, in regiam se conferens, ab omnibus Imperator est approbatus. Primùm igitur adepto Imperio, profusissimas Michaëlis largitiones reuocauit, statuitque vt quicunque inde pecunias absque legitima occasione accepisset, restitueret, aut dimidium eorum, quæ accepisset, ærario inferret. Et quatuor filios, Constantinum, Leonem, Alexandrum, & Stephanum Imperii hæredes instituit, totidémque filias monasterio inclusit. Inde in Sarracenos, qui Cretam occuparant, profectus, ab his nauali prælio superatus est, quos tamen alieno ductu pòst vicit. Sarracenos ex Africa soluentes, cùm Italiam magna ex parte vastassent, Dalmatiam quoque populantes, Rhagusio capto, Nicephori Phocæ ductu, inde eiecit, Bario in deditionem suam redacto, Venetis vna atque altera expeditione rem Christianam iuuantibus, multos Iudæos ad fidem Christi conuertit, sicut & Schytas in cognitionem Christi perduxit. Cæterùm cùm annos XX. imperasset à ceruo cornu ictus, intestinis læsis,

vitam cum morte mutauit. Vir frugi, nullis comessationibus deditus, & quem principem non contemnas.

Numus hic ex alio latere refert victoriam alatam, dextra coronam lauream, sinistra verò globum, cui Crucis imago imposita, tenentem, eiusmodi addita inscriptione: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.

EVDOCIAM concubinam filiam Inceris Michaël Basilio matrimonio iunxit, ex qua Leonem (qui potius Michaëlis credebatur, quippe cùm Basilio Eudoxia nuberet, iam in vtero gerebat) Constantinum, Alexandrum & Stephanum, totidémque filias sustulit, quas omnes Monasterio Euphemia inclusit.



CAROLVS CALVVS Ludouici pii Imperatoris, ex Iuditha altera vxore filius, ac Ludouici II. Imperator patruus, cùm iam annis XXXVI. regnum occidentalis Franciæ tenuisset, ac cū Britonibus & Normannis vario Marte dimicasset, de morte Ludouici Imperatoris certior factus, omni mora abiecta, summa cum festinatione, Alpibus superatis, in Longobardiam contendit, vt hinc rectà Romam proficisceretur, pro corona Imperii in Franciam Cæsarum nomē allaturus. Postquàm verò Romā peruenit, à Ioanne Pontifice Corona Imperii donatus est, anno salutis DCCCLXXVI. Et mox in Sarracenos mouens, facilè conatus eorum repressit. Inde in Galliam reuersus, in itinere Bosonem, vxoris fratrem, regem Prouinciæ proclamauit. Repetens verò Italiam, regna, quæ Lotharii iunioris erant, magno comparato exercitu, in ditionem Francici Imperii redigere cupiebat. Aduersus quem Ludouici germani filii profecti,

ad Veronam pulchro certamine eum oppresserunt,& in fugam verterunt. Qui fuga fœda elapsus, Mantuæ curis confectus, non sine veneni dati suspicione, à Sedechia Iudæo Medico, quem familiariùs diligebat, decessit, cùm regnasset annos XXXVI. imperasset biennium. Corpus eius exanteratum,& multis aromatibus conditum, cùm sui in Franciam adferre cupiunt, cadaueris putredine ferre non valentes, Vercellis in D. Eusebii Martyris æde humatum est. Vnde post annos VII. in D. Dionysii templum delatum est.

In hoc adparet Numismate muliebris statua, vestitu longo, pectore nudo, dextra coronam, sinistra temonem ferens, cum inscriptione: LAETITIA.

RICHILDIS, soror Bisonis, Burgundiæ & Prouinciæ regis, vxor Caroli Calui, ex qua duos sustulit liberos, qui annum non vixerunt.

HERMENDRVDIS altera Caroli Calui vxor, cuius familia non inuenitur. Ex ea quatuor filios sustulit, Ludouicum cognométo Balbum, Lotharium, Carolum, Aquitaniæ regem, & Carolomanum, ducem Prouinciæ.



LVDOVICVS III. Caroli Calui ex Hermentrude filius, quòd impeditioris & tardioris linguæ esset, BALBVS est cognominatus. Vir simplex ac mitis, Iustitiæ, pacis, ac pietatis amator. Hunc defuncto patre Imperii titulo Ioannes VIII. Pontifex, præter multorum principum voluntatem, ornauit. Nam vrbis primores pleriq; ad Carolum tertium, cui plurimùm fauebant, rem trahebant:

ferturq; propterea Pontifex in vincula coniectus, amicis tamen procurantibus, ac falsis custodibus, custodia elapsus, venisse in Franciam, à quibus officiosissimè exceptus, Balbum Augustum creauit, ac Diademate coronauit, anno salutis DCCCLXXXVIII. Imperio autem Valetudinarius princeps vix biennio præfuit. Treucis enim decumbens paucis interiectis diebus, morte absumptus est, relictis liberis ex Ausgarda, Ludouico, & Carolomanno, & Carolo simplici, ex altera.

Numismatis huius latus posterius repræsentat victoriam alatam, dextra crucem gestantem, cũ inscriptione tali: VOT. XX. MVLT. XXX.

AVSGARDAM nobilem quandam puellam in flore iuuentutis, coniugii fœdere inscio patre sibi copulauit Ludouicus, quam vnicè dilexit, & ex ea duos liberos præstantes forma, atque animo iuuenes suscepit, Ludouicum scilicet & Carolomannum. Coactus autem est à patre repudiare eam, quòd sine voluntate eius duxerat: & interposito iuramento solenni, ne vnquàm eam reciperet.

Repudiata Ausgarda, ADALHEIDEM pater in matrimonium Ludouico dedit, quam grauidam Ludouicus, cùm obiret, reliquit. Sed quæ expleto partu genuit Posthumum, cui nomen aui imposuit, & dictus est Carolus simplex, Rex Franciæ.



CAROLVS IVNIOR, cognomento CRASSVS à corporis habitudine, princeps Christianissimus, totúsque religioni deditus, Deo omnes suas actiones, atque eius arbitrio cuncta deuou

deuouens, omnia Francorum regna, quæ maiores sui, non sine magna sanguinis effusione, obtinuerant, breui sine conflictu assecutus est. Italiam à Saracenis grauiter vexatam liberauit. Ob id à Ioanne VIII. Pontifice Imperii coronam obtinuit. Ex Normannis hostibus Gallias assiduè vastantibus amicos & affines sibi fecit, data, scilicet Gothofrido regi in matrimonium Gisla filia Lotharii, patruelis sui, & Frisia in dotem, addito baptismatis lauacro. Sed cùm nec sic diu pacem seruarent, Imperator coactus est tradere eis locum ad habitandum, qui posteà à nouis incolis Normannia est dictus, tametsi illud Carolo simplici Regi Franciæ quidam attribuant. Qui Rolloni post acceptum baptismatis lauacrum, Roperto dicto, Neustriam concessit. Verùm cùm inutilis esset Imperio, nec satis præsidii in eo videretur ad Normannos Gallia exturbandos, Imperio est depositus, & Arnulphus ei suffectus, Cæsárque est creatus. Carolus verò post abdicatum Imperium, in summa egestate adeò vixit, vt sæpius quotidiani victus sentiret penuriam, ab omnibus derelictus, priuatam vitam miser egit, adiutus ab Arnulpho certis ex Alemania reditibus pro victu quotannis, quem supplex rogauerat, ne fame periret. Mortuus itaque pauper, sine honore in Augeo maiori monasterio prope Constantiam humili monumento sepultus, anno salutis DCCCLXXXVIII. Imperii X.

In hoc continetur Numismate victoria alata, dextra Crucem, sinistra ramum palmæ gerens, cum inscriptione: VICTORIA AVG.

RICHARDIS, Regis Scotiæ filia Caroli Crassi vxor, fœmina sanctimonia vitæ & castitate insignis. Cui cùm maritus adulterii crimen obiiceret, quòd familiariùs ageret cum Luituualdo Vercellensi Episcopo vnico suo Consiliario, cui rerum omnium administrationem concesserat, ac in concione iurasset hactenus integram à se relictam, illa quæ mariti impotentiam tot annis celauerat, accersitis obstetricibus & mulieribus honestis, suam integritatem & castitatem declarauit, factóque disidio, & acceptis bonis suis, in Alsatia Monasterium sacrarum Virginum construxit, Deóque se dicauit.



LEO V. filius Basilii Macedonis Imperatoris, PHILOSOPHVS cognominatus, viuente patre Cæsar creatus est, postquàm Constantinus maior natu ante patrem decessit. In moderanda Rep. solicitus, & in custodienda vrbe solers, adeò vt singulis diebus, mutato habitu, prodiret exploraturus vigilias. Bulgaros desciscentes, Turcarum auxilio primò vicit, verùm ab his per inanes inducias delusus, magna clade affectus est. Inde in Sarracenos classe comparata, Nicetæ ductu, egregiam victoriam peperit. Hic cùm festo die Pentecostes sacris interesset, quidam (vt fit in multitudine ob pressuram) in caput suum baculum impegit, quo nisi candelabrum obstitisset, actum de eius fuisset vita: sanguinem enim eructans, mentéque alienatus, semimortuus iacuit. Post annos autem Imperii XXV. menses III. alui doloribus fatigatus, Imperio fratri Alexandro, per manus tradito, cui filium commendauit Constantinum, decessit. Princeps literarum omnium & Astrologiæ in primis eruditus, vt qui filium suum Constantinum imperaturum diuinaret. Moribundus, cùm fratrem Alexandrum Leo aspiceret, dixisse fertur: MALA OCCASIO POST DECEM ET TRES MENSES. Et vaticinium hoc posteà impletum est: Nam post XIII. menses Imperii periit.

Nummi huius facies altera refert imaginem Victoriæ alatæ, sellæ insidentẽ, dextra Crucem, sinistra globum, cui parua crux imposita, tenentem, cum inscriptione: VICTORIA AVGVSTI CC. GG. Infrà: CONOB.

THEOPHANIA filia Martinacii patricii, à plerisque Stephania dicta, vxor Leonis, cui Leo templum extruxit.

ZOEN filiam Zantzistiliani, viuente adhuc Theophania, perditè amauit

amauit Leo, magísq; in amorem eius exarsit, quòd in agris dormiens, & in insidias penè præcipitatus, excitatus ab ea fuisset, mortuáque Theophania, legitimam ex concubina Augustam fecit: sed post annum I. menses VIII. mortua est.

EVDOCIAN ex Opsicio, pulchritudine omnes alias excellentem, tertiam vxorem duxit Leo, quæ breui tempore cum rege vixit in parte cum fœtu mortua.

CARBONOPSINA ZOE quarta Leonis vxor. Eam non statim regali insigniuit dignitate. Verùm tam diu ea vsus, donec filium enixa est, quem Constantinum nuncupauit. Ac tunc primùm eam vxorem approbauit, Augustámq; dixit.



ALEXANDER filius Basilii Macedonis, frater Leonis, moribus autem vtrique dissimilis, vir luxu & ignauia perditus, venationibus, potationibus & petulētiæ indulgens, nihil regium egit, regni curam in adulatores, præstigiatores, scelerúmq; suorum comites reiiciens, ignobilissimum & turpissimum quenque rebus præficiens. Frequentibus igitur conuiuiis & heluationibus deditus, languescere tandem cœpit, ac cùm nunquàm, nisi post balneū, prandium sumeret, quondam immoderatissimè ientaculatus, cùm se exercere voluit, corpus extendendo, venam rupit, qua sanguis tota die naribus & pudendis effluens, extinctus est, cùm regnasset annum I. & mensem.

In hoc Numismate conspicitur Victoria ferens Crucem, cum inscriptione: CONCORDIA AVG. Infrà CONOB.



ARNVLPHVS Naturalis filius Carolomanni Regis Bauariæ,& Ducis Corinthiæ, nepos Ludouici ſenioris Regis Germaniæ,Orientalis Franciæ ſtrenuus Dux. Ab optimatibus, qui Carolum Craſſum viribus animi & corporis deficientem videbant,Imperator delectus eſt. Contra Maharenſes rebellantes profectus, regnáque eorum ingreſſus,omnia ſolo æquauit:atque in finibus Bauariæ Sclauorum temeritatem repreſsit.Aduerſus Normannos in ripa Moſæ res egregias geſsit, eóſque ad fidem Chriſtianam amplectendam coëgit. Mox prædæ dulcedine captus,in rapinas templorúmq; ſpoliationes conuerſus eſt. Ac cùm Italiam tumultuantem pacare contenderet, pharmaco quodam dementatus, ac morbo pediculari confectus, Ratisbonam delatus, tandem mortuus eſt, anno ſalutis DCCCXCIX. Imperii ſui XII.

Moneta hæc ex altera parte habet muliebrem ſtatuam,dextra haſtam,ſiniſtra Cornucopiæ tenentem,cum inſcriptione: TEMPLORVM FELICITAS.

AGNETEM Græcorum regis filiam Arnulphus Dux adhuc exiſtens Bauariæ,& Corinthiæ,vxorem duxit,è qua duos ſuſtulit filios, Arnulphum,cognomento Malum,& Vueruherum Comitem in Scheum. Agnete mortua Deytam (quam alii Luitgardam vocant) alteram vxorem duxit, quæ ei peperit Ludouicum Romanorum regem, ſucceſſorem ſuum.

BERENG





BERENGARIVS filius I. Eberhardi Ducis, Roma oriundus, è ſtirpe Longobardorum regum, vir magnanimus, & militaris diſciplinæ non ignarus. A Carolo Caluo princeps Italiæ, & Dux Foroiulienſium creatus, cum Guidone Spoletinorum Duce. Hi duo autem dum in gratia & autoritate Caroli Calui eſſent, magnis collectis opibus, Carolo Craſſo animo & corpore dificiente, inter ſe conſpirarunt, rerúmque potiundarum inter ſe conſilium inierunt, placuitque, vt Berengarius in Italia, Guido in Francia nomen Imperii inuaderent. GVIDO verò mox fracto iuramento, & repulſa confœderatione, Italiæ regnum affectare cœpit, collectóq; magno exercitu, Italiam ingreſſus Berengarius commiſſo prælio vicit atque fugauit. Quem rurſus Berengarius Arnulpho in auxilium vocato, fugientē perſecutus eſt. Ac rurſus variante fortuna Guido Arnulphum inſecutus, iuxta fluuium Tarum mortuus eſt. Berengarius itaque ſolus tota Italia potitus, multa præclara geſsit. Ac poſteà à compatre Flamberto nocte templum ingreſſus, inſidiis trucidatus eſt.



LVDOVICVS IIII. Arnulphi Imperator ex ſecunda cōiuge Deyta filius. Vir ſtrenuus & bellicoſus, omnibúſq; amabi-

lis. Iuuenis admodum, poſt patris obitum ab optimatibus Franciæ orientalis, in oppido Forchaim Imperator electus, regiíſque ornamentis inſignitus eſt. Huius tempeſtate Hungari iuuenem regem deſpicientes, Bauarorum fines inuaſerunt. Eccleſias igne vaſtarunt multóſque iugularunt. Quibus cùm Ludouicus reſiſtere vellet, ac coacto exercitu circa Auguſtam vindelicorum prælium commiſiſſet, victus ſuperatúſque eſt. Hungari victoria potiti omnia cædibus, rapinis, incendiíſque vaſtarunt, Italiámq; & Longobardiam penetrarunt. Poſt quorum abitum, Ludouicus prouincias ſuas ſingulas adiuit, & reformauit, conuentúſque generales principum egit, & diſſenſiones nobilium compoſuit. Cùm autem multa prælia geſsiſſet, quibus ſemper ferè occubuit, ceu infortunatus, tandem mortuus eſt ſine hærede, anno Imperii XII. Ratisbonæ in Cœnobio Diui Emeriani, cum patre ſepultus.

MATHILDA, quæ ab aliis Lintgarda appellatur, ſoror Brunonis Ducis, & Othonis Magni Luitholphi Ducis filia, Ludouici vxor, ex qua nullam ſuſcepit prolem.



BERENGARIVS filius Adelberti Porregiæ marchionis, & Giſellæ filiæ Berengarii, Imperator factus filium ſuum Adalbertum, regem Italiæ dixit, cum quo XI. annis Imperium Italiæ adminiſtrauit. Qui cùm tyrannum potius quàm principem ageret, Otho eum cum filio Alberto vinctum in Germaniam duxit, Italia ab omni tyrannide liberata. Sed in conuentu Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum & Longobardorum à Cæſare veniam meruit, reſtituta illi omni Longobardia. Cùm verò tyrannidem iterum exerceret, ſuperbéque ac auariſsimè imperaret, iterum captus

captus cum coniuge & filiabus,in Bauariam ductus, tandem exul in Babenberga mortuus,honorificéque sepultus est.

In horum Numismatum parte posteriore conspicitur Corona laurea, & in medio Crucis imago, cum inscriptione: VICTORIA AETERNA.

BERTHA Berengarii Imperatoris vxor.



CONSTANTINVS Leonis filius, & nepos Basilii, puer septennis sub tutela matris & nobilium quorundam relictus,magnam passus est in Imperio confusionem.Bulgari enim Thraciam vastantes, prædas abigentes, Adrianopolim obsederunt, tandémque ceperunt:sed ingenio atque opera reginæ matris Constantini,iterum in suam iurisdictionem est redacta. Constantino ipso paratæ insidiæ, mater eius in monasterium detrusa, & Romanus quidam obscuri generis regali diademate ornatus est. Qui Constantinum modis omnibus deiicere conatus,frustratus tamen spe sua, à filiis propriis captus,& in exilium pulsus est,postquàm aliquot annos imperasset, ac deinde filii eius, qui reges creati erant, comprehensi à Constantino,tonsi & clerici facti,in exilium missi sunt.Sícque Constantinus monarchiam solus est adeptus, qui multos annos à Romano fuerat oppressus,satísque prudenter administrauit,Beneuento de Longobardis expugnato & Tyrannis quibusdam oppresis, Turcarúmque principibus aliquot Christiana pietate imbutis. Cùm autem regnasset cum patre Leone & Alexandro patruo,& cum matre annos XIII. cum Romano Lacapeno annos XXVI. solus XV. in monte Olympo apud Theodorum Cizicum commoratus,

mortuus eſt, filio Romano iuniore ſuperſtite.

In hoc Numiſmate conſpicitur victoria alata, dextra crucem, ſiniſtra palmæ ramum geſtans, adiecta tali inſcriptione: VICTORIA AVG.



Vxorem duxit Conſtantinus HELENAM Romani filiam, nuptiæq; magna cum ſolennitate triduo poſt Paſcha celebratæ.



CONRADVS filius Conradi Comitis Franconię, Haſſiæ, Vuedrouiæ, Friſlariæ, vir ſtrenuus, & re bellica exercitatus, animo corporéque validus, adeò vt pleriſque timorem, multis iniiceret obedientiam, poſt Caroli Magni ſublatam ſtirpem, Auguſtus deſignatus eſt. Quamuis vniuerſus Francorum & Saxonum populus, Germanorúmque procerum concurſus ad Othonem Saxoniæ Ducem fiebat. Sed cùm is inualidus eſſet, & ſenectutem cauſaretur, Conradum opibus, & robore animi, atque corporis præſtantem, quíque ad ſuſtinendam hanc molem aptiſsimus eſſet, indicauit. Sícque, autore Othone, Conradus Auguſtus deſignatus, & Rex inunctus eſt. Qui cùm multa in Imperio feliciter geſsiſſet, & ſupremum adeſſe diem

diem cerneret, conuocatis Germanis proceribus, autor fuit, vt Henricus Othonis Saxonum Ducis filius (cuius beneficio ipse ad Imperium peruenerat) Augustus crearetur. Simul etiam regalia ornamenta, coronam, sceptrum aureum in medium ferri, atque Henrico Duci Saxoniæ tradi iussit, ac paucis pòst diebus vitam cum morte commutauit, cùm regnasset annos VII.

Mulierem palleatam pectore nudo, dextra coronam, sinistra temonem gerentem, alterum Numismatis refert latus, cum inscriptione eiusmodi: LAETITIA.

PLACENTIA Ludouici senioris Regis Germaniæ, Conradi Imperatoris vxor, ex quo nullam tulit sobolem.



HENRICVS Othonis Ducis Saxoniæ filius, AVCEPS cognomento dictus, quòd venationi & aucupio multùm studebat, à Conrado, eò quòd hunc solum Imperii administratione dignissimũ existimaret, electus, insigniisque Imperialibus donatus, & à primoribus & principibus Germaniæ cum omni Francorum exercitu, Fristilarii congregatis, Rex designatus, & Augustus coram omni populo magna omnium acclamatione appellatus est. Princeps sanè prudentissimus, piissimus & modestissimus, qui Imperium summa cum prudentia & fortitudine administrauit. Primam expeditionem contra Arnoldum, se infestis armis Imperio opponentem, fecit. Nihil tamen hostiliter tentans, Arnoldum Ducem familiariter ad colloquium postulans, cum eo sermones contulit, monuítque seriò Imperii maiestatem à Deo donari, quòd si reliquorum principum suffragiis electus princeps esset, tum se alteri cessurum. His dictis, animum

Arnoldi quietum reddidit, vt sine cæde vltrò parêret. Posteà cum exercitu contra Burchardum Alemaniæ Ducem rebellem profectus est, quem in deditionem recepit. Hungaros prætereà Saxoniam inuadentes, memorabili prælio apud Martisburgum in confinio Saxonum fudit, ac fugauit. Vnde & ingentem sui timorem ac æstimationem apud nationes exteras sibi conciliauit, & toti Germaniæ summam tranquillitatem peperit. Sclauos, Dalmatas debellauit, prędámq; ingentem abegit. Pergam Boëmorum vrbem, vnà cum Duce suo Venceslao in deditionem accepit, legibúsque Imperii subiecit. Lotharingiæ terram Germaniæ regno restituit, & à Burgundionum Rege lanceam illam, qua Christus perfossus, consecutus est. Cęterùm aduersa valetudine correptus, Othonem filium suum, & quòd optimus & religiosus esset, conuocato omni populo, regem designauit, omníque Francorum Imperio præfecit. Rebus omnibus ritè compositis, tactus paralysi, mortem obiit, Anno ætatis suæ LX. Imperii XVII. Salutis DCCCCXXXVII. VI. Nonas Iulii.

Statua muliebris sinistra hastam, dextra Cornucopiæ tenens in hoc conspicitur Numismate, cum tali inscriptione: VICTORIA AETERNA.

MECHTILDIS Theodorici ex eadem gente Saxonum filia, nobilissima & raræ pudicitię matrona, honestatis & virtutum exemplar, Henrici vxor, ex qua ante Imperium Gerbirgam filiam, & Othonem Magnum, Imperii successorem genuit: post susceptum verò Imperium, Henricum, Brunonem aliásque filias, Mechtildem & Adelheidem.



OTHO Magnus Henrici Aucupis filius, primorum Germaniæ

maniæ consensu,regni successor est electus, Aquisgrani ab Episcopo Moguntinensi coronam Imperialem accepit. In initio huius Imperii,tumultus plenos periculi exortos sedauit. Eberhardus enim palatinus,& Giselbertus Lotharingiæ princeps,quòd ex posteritate Caroli,& Francorum erant,contendebant successionis iure, Imperium à Saxonibus ad Francos deriuare,& Henricum fratrem Othonis maiorem natu,eo prætextu quòd ætatis nomine ipsi deberetur administratio Imperii,ad se pertrahebant.Grauissimum hoc fuit bellum, & plurimæ in eo pugnæ commissæ. In vltimo tamen conflictu apud Andernaum palatinus Eberhardus occubuit,& Dux Giselbertus inter fugiendum in Rheno submersus est. Henricum fratrem Marsburgi obsidione cinxit Otho,qui videns conatus suos irritos esse, & debilitari sua præsidia, ad Othonem supplex venit, delicti orans veniam: à quo receptus, & non multò pòst Ducatu Bauarico donatus est. Filium quoque Lutolfum secundas nuptias patris cum filia Regis Burgundionum improbantem,& ob id bellum molientem, graui obsidione primùm Moguntiæ,deinde Ratisbonæ,pressit: sed statim patri reconciliatus,firmissimæ pacis leges constitutæ sunt. Hungaros apud Augustam vrbem ad Lycum fluuium fudit, atque ita robur eorum debilitauit, quòd posteà Germaniam ingredi non ausi sint. In quo conflictu Conradus sapiens occubuit, delatúsque Vormantiam, ibi sepultus est, ac tres Reguli capti à Germanis suspensi sunt. Ab Italis contra tyrannidem Berengarii accersitus, in Italiam venit: vbi Berengarius vltronea deditione impetrauit non modò eam gratiam,vt non pelleretur,sed vt magna Cisalpinæ Galliæ parte donaretur.Berengario verò cum filio iterum res nouas moliente vocatus in Italiam Otho, victos captósque alterum Bambergam, alterum Bizantium relegauit.Inde Romam profectus, à Ioanne XII. Pontifice coronatus est.Quem tertiò Italiam repetens,cùm grauissimorum criminum reus ageretur, sæpe tamen vt resipisceret anteà admonitum,Synodo coacta,officio deiecit, Leone suffecto. Hunc cùm Ioannis Pontificis necessarii,illo sub Othonis profectionem redeunte, vrbe eiecissent,vlturus insignem iniuriam,ex Vmbria Otho aduolat,Romanísque Coss. cum Præfecto in Germaniam relegatis, Leonem restituit.Sarracenis quoque & Græcis,qui illis adhæserant, ex Apulia & Calabria fugatis, in Germaniam reuersus, filio priùs Othone Imperii consorte electo, Magdeburgi Saxoniæ vrbe defun-

ctus est, ibíque sepultus, Anno salutis DCCCCLXXXIII. regni XXXVII. Imperii XIII.

In hoc cernitur Numismate mulier stolata, nudo pectore, sinistra hastam, dextram eleuatã habens, cum inscriptione: AETERNITAS.

EDITHA Eduardi Anglorum regis filia, Othonis Magni prima vxor, fœmina sanctissima, ex qua Otho Luitolphum, & Gulielmum, Moguntinum Episcopum tulit. Ac cùm Luitolphus XVI. annum ageret, mortua est, & Magdeburgi sepulta.

ADALHEIDIS altera Othonis Magni vxor, Rodulphi Burgundionum Regis, & Berthæ filia. Ex qua progenuit Henricum, Brunonem, & Othonem Imperii successorem.



ROMANVS IVNIOR filius Constantini & Helenæ, filiæ Romani Lacopeni, vir omnium ignauissimus, luxu otióque perditus, Imperium post patrem administrandum suscepit: quod tamen alieno arbitrio rexit, ingenio aliôquin non malo, sed interdum solerti, vbi animum adiecisset. Foris aduersus Sarracenos Cretam occupantes, ductu Nicephori, & aduersus Turcas Asiam vastantes eiusdem Nicephori & Leonis fratris Imperio felix, Domi in matrem & sorores impius: eas enim regia eiectas in Cœnobium relegauit. Quæ ob dolorem priuati regii vestitus, meretricium quæstum sunt amplexæ. Ipse ludis, crapulæ, Veneri intentus, cùm carnis illecebris corpus extenuasset, mortem obiit, anno Imperii XIII.

Altera facies huius Numismatis refert Victoriam dextra coronam,

nam, finiſtra globum, cui Crucis ſimulacrum impoſitum, ferentem, cum inſcriptione: VICTORIA AVG.

THEOPHANIAM vxorē habuit Romanus, ex qua duos filios, Baſilium, & Conſtantinum progenuit, filiámque Theodoram. Ac poſt mortem Romani à Nicephoro palatio expulſa, in Petrium deducta eſt. Sed poſt paucos dies rex ſibi cohabitare fecit: & cùm nuptias celebraturus eſſet, à Patriarcha à limine templi arcebatur, quòd ferebatur compater fuiſſe in lauacro Chriſtiano liberorum Theophaniæ. Verùm poſteà admiſſus eſt. Huius fraude deinde, auxilióque Ioannis Zimiſcis, Nicephorus occiſus eſt. Atque hæc Theophania fuit vxor Romani & Nicephori.



NICEPHORVS, cognomento PHOCAS, Phocæ Nicephori nepos, nobiliſsimus & æqui obſeruantiſsimus, in Romano Imperio ſucceſsit. In Sicilia cōtra Sarracenos res egregias geſſit. Per Duces autem ibidem res infeliciter geſtæ. In eoſdem Aſiam vaſtantes exercitum duxit, ac Ciliciam magnámque Aſiæ partem lætis auſpiciis recepit. Mox Antiochiam noctu ingreſſus pulſis Sarracenis, Imperio ſubiecit. Sed quàm bellica re fortunatus, tam domi infelix, dum prætextu bellorum, quæ continuò agebat, nouis tributis & exactionibus ſubditos & eccleſias expilat, Numiſmata corrumpit, & pondus conſuetum imminuit. Ex quo in odium ciuium incurrens, facilè à Ioanne Zimiſce intra cubile interfectus eſt, cùm rerum potitus eſſet annos VI. menſes totidem.

Numiſma hoc ex altero latere habet imaginem Crucis, quatuor inſiſtentem gradibus, cum inſcriptione: VICTORIA AVG.

THEOPHANIA Nicephori Imperatoris vxor fuit.



IOANNES ZIMISCES post occisum Nicephorum, Imperio est potitus. Insignis anteà militari laude, omnes primò Nicephoro deditos è medio sustulit, & damnatos exilio à Nicephoro, reduxit. Basilium & Constantinum fratres Romani iunioris filios, Imperii consortes fecit. Contra Roxolanos, Sphensdolauo eorum rege ad deditionem coacto, victor, Constantinopolim reuersus, triumphantísque specie vrbi inuectus, honorificè à suis exceptus est. Sed paulò pòst insidiis cubicularii sui, qui lethale poculum non admodum potens aut subitum, sed quod lentè vires corporis corrumperet, & per pocillatorē largitionibus corruptum, propinandum dederat, periit, post Imperii annum VI. & menses VI.

In huius Numi altera parte adparet Seruatoris imago, cum ea inscriptione: IESVS CHRISTVS REX REGVM.

THEODORA Romani iunioris & Theophaniæ filia, Basilii & Constantini soror, Ioannis Zimiscis vxor.



O T H O I I. Othonis Magni & Adelheidis reginæ Burgundiæ filius, viuente patre Aquisgrani Rex est declaratus, & Romæ

inunctus: cuius etiam opera Sarracenos Græcósque Calabria expulit. Mortuo patre Henricum Bauariç Ducem nouis rebus studentem, armis domuit. In Lotharingia motus excitatos, ingenti coacto exercitu, sedauit, atq; Carolo Lotharii regis Francorum fratri Lotharingiæ Ducatum tradidit, beneficiariúmque Cæsarum iureiurando reddidit. Quibus rebus offensus Lotharius Rex Franciæ, collecto exercitu inopinatò Cæsarem Aquisgrani propè oppresit, vt vix fuga elaberetur. Imperator cupiens eam abluere infamiam, Galliam ingressus Parisios vsque depopulatus omnia, Gallos ad pacem poscendam coëgit. Cæterùm dum reuertitur in Axonæ fluuii transitu graui incommodo à Francis affectus est, plerisque militum, fluminis impetu, aliis ferro necatis. Pacata Germania profectus in Italiam, bellum contra Græcos, qui Sarraceno etiam milite instructi Calabriam & Apuliam vindicabant, parauit, eas prouincias iure affinitatis, ob vxoris suæ Theophaniæ Graiæ mulieris dotem, ad Imperium Romanum transferre cupiens. Ac his congressus, ad Basentellum victus est, ipse scapha conscensa ad mare delatus, inter fugiendum à piratis captus est. Verùm cùm ob Graiæ linguæ cognitionem ignotus esset nautis, neque haberetur princeps Germanus, magna numerata pecunia facilè ab hostibus se redemit, Romámque reuersus, & reliquiis exercitus collectis, dum nimis incautè Græcos, & Sarracenos persequitur, sagitta venenata vulneratus, Romámq; delatus, paucos post dies vita decessit, Anno Imperii XVII. relictis liberis Othone III. & Hugone Duce Saxoniæ, ac tribus filiabus.

Muliebrem statuam stolatam dextra ramum palmæ, sinistra Cornucopiæ tenentem, cum inscriptione, LAETITIA, repræsentat altera Numismatis huius facies.

THEOPHANIA Romani, Imperatoris Constantinopolitani filia, callida & astuta, Othoni in matrimonium tradita est. Ex qua Othonem Cæsarem & successorem, Hugonem & Alysiam filiam genuit. Primatibus autem Imperatrix Theophania cœpta haberi exosa, quòd omnibus propter exercitus cladem consternatis, sola fœminea & Græca leuitate insultabat.

Aliam vxorem è familia Marchionum Austriæ, cuius nomen

ignotum eſt,habuit Otho,quæ ei peperit Vtilhaidim vxorem Theoderici primi Comitis Hollandiæ, Sophiam Abbatiſſam in Gandershaim, Adelheidam Abbatiſſam in Quittelburg, & Iuditham vxorem Ducis Poloniæ.



OTHO III. Saxoniæ Dux,Othonis II. ex Theophania Regina filius, à principibus Germaniæ communibus ſuffragiis contra Italos Imperium ad ſe trahere contendentes,Imperator creatus eſt.Ac à Gregorio ſummo Pontifice conſanguineo ſuo (Brunonis nomine appellato) quem ille Pontificem Rom. creauit, Diadema Imperiale accepit. Reuerſo autem Othone in Saxoniam Gregorius Pontifex à Romanis eiectus eſt. De quo Imperator certior factus,minarum iræque plenus, ingentibus copiis vrbem petiit, eámq; cepit.Ioannem Pſeudopontificem oculis primùm, dehinc vita priuauit,Creſcētium autem Conſulem huius tragœdiæ ex fuga retractum vili iumento auersè imponi,& per vrbem duci paulatim detruncatis membris, ac mille confoſſum vulneribus ante vrbem ſuſpendi iuſſit: Gregorium verò reſtituit.Qui vt Othoni & Germanis gratificaretur,nouam fecit vnà cum Othone de eligendo à Germanis proceribus Imperatore ſanctionem, formulámque ac legem creandi Imperatoris,vt hæc electio perpetuò Germanis maneret, vt è ſuo corpore Cæſarem deſignarent,atque ea ſeptem Germaniæ principibus, tribus ſacri ordinis,quatuor prophanis delegata eſt autoritas, quæ per quingentos annos & ampliùs durat.Conſtituta hac ordinatione Itali varios tumultus aduerſus Othonem concitarunt, adeò vt tutus eſſe non poſſet,& dum reditum in Germaniam maturaret, miſſo per inſidias veneno à Creſcentii vxore necatus eſt,atque Auguſtæ ſepultus,Anno Imperii XIX.

In

In Numiſmatis huius aurei altera parte adparet ſtatua muliebris, ſtolata, dextra ramum oliuæ, ſiniſtra haſtam ferens, cum inſcriptione: PAX PERPETVA.

MARIA de Aragonia vxor Othonis, fœmina impudica, virorum appetentiſsima, & ſterilis, iuuenem habitu muliebri, cum quo quotidie congrediebatur, ſecum duxit, eóque pro cubiculario vſa eſt. Quod cùm innotuiſſet Imperatori, multis adſtantibus principibus, iuuenis veſtibus ſpoliatus pro fœmina maſculus repertus eſt, viuúſque dehinc combuſtus. Amatore itaq; illo extincto & combuſto, cùm ab Imperatore veniam meruiſſet, in Italia circa Mutinam Comitem quendam formæ elegantiſsimæ, ſed virum optimum, deperire cœpit. Cui ille multis ab Imperatrice pellectus blanditiis, cùm aſſentire nollet, falſis apud Cæſarem delationibus ab ea accuſatus eſt, & pœna capitis damnatus. Re autem patefacta, Imperator vxorem comburi iuſsit, viduámq; Comitis multis bonis & muneribus donauit.



BASILIVS & CONSTANTINVS fratres iunioris Romani Imp. filii, poſt Zimiſcem inſignibus regiis ornati ſunt. Fuit autem Baſilius auaritiæ ſtudioſiſsimus, vtpote qui ingentem auri copiam vndique ex ærariis corraſit, & quæſtum nouum ex omnibus ſibi fecit, omnéſque arculas auro & lapillis pretioſis adimpleuit. Principatum ſuum à bello ciuili auſpicatus eſt. Nam Bardas Sclerus Imperium inuaſerat, illúdque totum ferè ſibi ſubiugauerat: quem tamen acie victum Baſilius ad Perſas fugere compulit. Nec multò pòſt Phocas, Berda cognomento, ab exilio reuocatus, indignatúſque poſt rem præclarè aduerſus Sclerum Duce ſe geſtam, ab Imperatore contemni, defecit: ſed & hunc cæſum in acie ſuperauit.

 Bella

Bella prætereà cum principe Bulgarorum geſsit, qui Thraciam, Macedoniam & Græciam flammis & ferro deuaſtauit, quem præliis aliquot ſuperatum, ad deditionem compulit, totámque Bulgariam imperio ſubiecit, vſus ad compeſcendam eorum perfidiam, grauiore in victos pœna, quindecim milibus captis, oculis effoſsis. Ampliatis itaque Imperii terminis vndique, poſt LXXII. vitæ annum deceſsit, cùm regnaſſet LII. annos.

Alterum huius Numi latus refert Seruatoris imaginem, cum tali inſcriptione: IESVS CHRISTVS REX REGVM.



CONSTANTINVS frater Baſilii particeps quidem dignitatis, ſed non potentiæ, defuncto fratri in Imperio ſucceſſit. Vir penitus ignauus, voluptatibus deditus, gulæ & Veneri obnoxius, ludis & theatris vſq; ad inſaniam laxatus, & ad regendum Imperium ineptiſsimus, quod etiam obſcuriſsimis & barbaris hominibus adminiſtrandum tradidit. Eo principe Patzinacæ Iſtrum ſuperantes à Diogene Sirmii & Bulgariæ principe, victi ſunt. Tertio autem Imperii anno ſeptuagenarius deceſsit, Romano Argyropolo in ſucceſſorem electo, & Zoë filia illi tradita.

In hoc continetur Numiſmate imago Redemptoris noſtri, librum in manibus tenens, cum eiuſmodi inſcriptione: IESVS CHRISTVS REX REGNANTIVM.

Vxorem habuit Conſtantinus filiam Alypii viri admodum locupletis, ex qua tres ſuſcepit filias Eudociam, Theodoram, & Zoën.

HENR



HENRICVS Dux Bauariæ, Comes Babembergensis, dictus CLAVDVS, ab electoribus formula Gregorii Imperator creatus est. Princeps illustris moribus, & vitæ sanctimonia præclarus, in bonis literis à teneris educatus, prudentia & insignibus victoriis clarus. Multa & ingentia bella mirabili felicitate gessit. Principiò Bohemos & Vandalos bello fatigatos, tributarios subditos sibi fecit, Metas & Gandauum obsedit, Lotharingiam & Flandriam deuicit. In Italia aduersus Sarracenos pugnauit, eósque Italia expulit. Victor tum Romæ à Benedicto VIII. coronatus est. Hungaros ad fidem Christianam pertraxit, & Stephano Hungarorum Regi sororem in matrimonium tradidit. Multos Episcopatus, qui Barbarorum incursione fuerant deuastati, auxit, & locupletauit, reditibúsque suis denuò ditauit. Babembergæ Episcopatum fundauit, & diuitiis dotauit. Cúmque regnasset XXII. annos Conradóque Franco legitimo suffragio electorũ, in Cæsarem electo, in humanis esse desiit, ac Babembergæ sepultus est, superstite coniuge Chunegunde, cum qua cœlibem perpetuò vitam duxit, eámque iam morti proximus parentibus, cognatis & affinibus conuocatis illibatam, castam & intactam reddidit, & commendauit.

Numi huius alterum latus continet Imperatorem loricatum & paludatum trophęis insidentem, & mulierem solatam ante eum stantem, sinistra labarum tenentem, dextra globum, cui insistit Victoriola, Imperatori offerētem: A tergo illius, alteram Victoriam coronam ei imponentem, cum inscriptione: CONSERVATORI PANNONIAE.

CHVNEGVNDIS Sigifredi Palatini Rheni filia, vxor Henrici

Imperatoris,cum qua in cœlibatu ſemper vixit, mortíque proximus, eam cognatis ſuis intactam & caſtam virginem reddidit.



ARDOVINVS Italici ſanguinis,in Gallia Tranſpadana natus, Marchio Iure, ob egregias virtutes, & res ſtrenuè fortitérque geſtas, Mediolani ab Epiſcopis & nobilibus Imperator declaratus eſt. Contra quem Henricus II. cum magno exercitu Italiam ingreſſus,prælio vicit. Sed reparato exercitu Ardouinus ſecundò cum Henrico congreſſus, exercitu amiſſo victus & cæſus eſt. In autores deinde huius defectionis Mediolani grauiter ab Imperatore animaduerſum.

In Numi aurei huius parte poſteriore adparet ſtatua muliebris, veſtitu longiore induta, globo, in quo zodiacus ſignorum cæleſtium ſculptus eſt, inſidens, ſiniſtra Cornucopiæ ferens, dextram Imperatori ante ſe ſtanti,veſtéq; Pontificali ornato porrigens, addita tali inſcriptione: ITALIA ORBIS REGINA. Infrà verò ſubſcriptum: FIDES PERPET.



CONRADVS Hermanni Ducis Francorum, & Lothar

tharingiæ Adalheidis filius, SALIQVVS cognominatus, post duorum annorum interregnum, eò quòd electores principes inter se de eligendo rege dissidebant, legitimo suffragio Imperator creatus est, virtute & militari disciplina, ad tantum fastigium euectus. Dissensiones vndiq; in Imperii initio ortas summa prudentia sedauit. Italiam ingressus est, vt odia principum in se castigaret, qui partim libertatem asserere conabantur, partim declaratum Cæsarem armis ab ingressu repellere adnitebantur, in Mediolanum mouit, atq; obsedit, & cùm supremum exitium vrbi minaretur, deterritus oraculo, ab omni grauiore iniuria abstinuit: Romámq; profectus, coronam Imperii à Pontifice Ioanne accepit. Inde Sclauos rebelles ad vnionem & pacem redegit. Hungaros deficientes adeò est bello prosequutus, vt coëgerit Stephanum regem, missis legatis pacem petere, cæterósque omnes Bohemos & Polonos tributarios priùs factos, ad parendum compulit. Contra Pannonas, qui rebellantem Italiam socialibus armis adiuuerant, feliciter pugnauit, Rodolphum Burgundiæ regem suis conciliauit. Leopoldum etiam pacis & otii turbatorem, bello petitum compescuit. Cæterùm cùm in Germaniam rediret, circa Traiectum, Phrysiæ vrbem, subita morte sublatus est, corpore Spiram delato, & in templo à se constructo honorificè sepulto, Imperii anno XIIII. relicto filio Henrico superstite & successore, ac vxore Gisela, quæ anno IIII. post eius obitum mortua, Spiræque sepulta est.

Alterum Numismatis huius latus repræsentat mulierem stolatam, dextra ramum oliuæ, sinistra hastam ferentem cum inscriptione eiusmodi: PAX PERPETVA.

GISELA Lotharii Regis Franciæ V. & Mechtildis filia, de antiquissimo Caroli Magni stemmate, tres habuisse maritos fertur: Primum Brunonem, Marchionem Saxoniæ, ex quo Luitolphum peperit. Secundum Ernestum, Ducem Sueuiæ, ex quo gemellos Ernestum, & Hermannum sustulit. Tertium Conradum Imperatorem, cui peperit Henricum III. ac post obitum mariti, anno IIII. mortua, cum eo Spiræ sepulta.



ROMANVS ARGYRVS à Conſtantino, vt omnium nobiliſsimus qui Imperii hæres eſſet, Cæſar electus eſt, tradita ei filia Zoë. Vir literis Græcis excellenter doctus, legum publicarum non indoctus, multam habens rerum cognitionem, & in primis princeps bonus, cùm multa in melius mutarit, ſumma etiam liberalitate in omnes vſus. Verùm cùm Sarracenica Aſiæ expeditio parum ex ſententia illi ceſsiſſet, repentè in deterius mutatus, carnifex pro Rege eſt factus, acerbus exactor, multa indigna Imperatore agens. Nec multò pòſt Zoæ vxoris fœminæ ſalaciſsimæ, & Michaëlis Paphlagonis adulteri inſidiis, intra balneas aquas immerſus obiit, poſtquàm imperaſſet annos v. & menſes ſenos, nulla relicta ſobole.

In hoc Numiſmate adparet imago Chriſti inſidentis ſolio, dextráque globum, cui Crux impoſita, ſiniſtra librum tenentis, cum tali inſcriptione XKERO OHΘEI Vtrinque characteres hi videntur IC XC

HELENA Romani Argyri vxor.



MICHAEL PAPHLAGO, qui viuente Romano

mano,cum Regina commercium habuit, poſt mortem Imperatoris à Regina Zoe illicò Imperator inſtitutus eſt: ea tamen conditione, vt penes Zoën tota adminiſtratio maneret. Verùm hæc obſeruantia non diu durauit. Michaël enim Imperator publicorum negotiorum gubernaculum acceptauit, & regni adminiſtrationem vſurpauit,nec malum principem egit: vtpote qui facilis & beneficus in ſuos, hoſtibus formidabilis,niſi eum morbus corripuiſſet in dies validius. Cum Aegyptio Rege tricennales inducias percuſsit,& Aedeſſam ab Arabibus obſidione liberauit. Ac cùm intercutis morbo grauiſsimè laboraret,Michaëlem Calaphatem ex ſorore nepotem, hæredem inſtituit, ipſe in Monaſterium ex palatio tranſmigrauit, vbi breui ſuperuiuens Chriſtianiſsimè mortuus eſt, cùm Imperio præfuiſſet annos VII.

In parte poſteriore huius Numiſmatis continetur effigies Saluatoris,dextra globum,ſiniſtra librum tenentis,ſolióque inſidentis, addita inſcriptione: CHRISTVS PAX VERA.



MICHAEL CALAPHATES indigniſsimus,& ignobiliſsimus homo,cuius parentes apud Paphlagonas pice naues oblinirent, vnde & cognomen adeptus, conſiliis doloſus, lingua inconſtans, inuidus, iracundus, & ad quamlibet auram mobilis. A priore Imperatore & Zoe in filium adoptatus, pedibus reginæ prouolutus,ſanctè iurauit, titulotenus ſe imperaturum, poteſtatem totam penes eam manſuram. Sed paulò pòſt auarè & crudeliter rem ſuſceptam adminiſtrauit.Ingratiſsimus enim in omnes,patruum tantæ maieſtatis autorem, primùm eiecit, reliquos deinde conſanguineos maritos,& puerorum parentes & iam adoleſcentes genitalibus

N memb

membris priuauit. Zoën matrem fingens sibi ab ea paratas insidias, & venenum positum palatio inauditam exegit, eámque detonsam indutámque Monastico habitu in insulam relegauit. Quod cùm indignissimè omnes ferrent, vniuersáque plebe in seditionem versa, Zoën restituere coactus est. Ipse fugiens cum Constantino fratre, à turba captus & oculorum vsu, familiari Græcis pœna, priuatus est, atque in exilio periit, Mensibus IIII. dies V. rerum potitus.

Moneta hæc ex altero latere continet imaginem Saluatoris manibus librum ferentis, vtrinque his characteribus additis: IC NC



ZOE filia Constantini Imperatoris, & Romani Argyri vxor, fœmina salacissima, viuente marito cum Michaële consuetudinem habuit, ac maritum Romanum dolo in balneis suffocauit, Michaëlem ad Imperium prouexit, sibíque matrimonio copulauit, & Michaëlem Calaphatem Imperio adoptauit, à quo posteà, detonsa, & Monastico vestitu induta, in exilium relegata est. Sed paulò pòst populi conspiratione restituta, cum sorore Theodora Imperium administrauit. Cæterùm, vt varium & mutabile genus semper est fœmina, Zoë adhuc ardens libidine, persuasa vt virum ascisceret, multis anteà fastiditis Constantinum Monomachum ab exilio reuocatum, virum sibi adiunxit, & Imperatorem pronuntiauit. Cúmque annum ageret LXX. decessit, quam Constantinus effœminatè planxit.

Corona aurea in cuius medio est imago Crucis in huius Numismatis parte posteriore conspicitur, sine inscriptione vlla.

CONST



CONSTANTINVS MONOMACHVS, vir Imperatii ſtemmatis à Zoë in Imperium adſcitus, princeps ignauus, & adeò libidine perditus, vt concubinam Sclerenam Habram exilii ſui ſociam, egregia aliôqui forma, vxoris legitimæ loco habuerit, quam efflictim deperibat. Facillimis præditus moribus, & admodum effœminatis, literas minimè curauit, qui ſtudia vix ſummis labris deguſtauit, magis luxuriæ intentus. Duo ſuſtinuit grauiſsima bella: Primùm cum Georgio Maniace viro animo prompto, manu ſtrenuo, gerendóque bello aptiſsimo: qui à duabus Reginis ſororibus Zoë & Theodora in Italiam miſſus, bello exacturus, qui eam ingreſsi erant, & à Sclero fratre amatæ Cæſaris concubinæ multa incommoda paſſus, tanto dolore concitatus, ab imperio defecit, magna exercitus parte, tanquàm excellentiſsimo duci adhærente. Sed hic motus, qui ex Italia in Epirum tranſierat, vna pugna ſecunda, & Ducis Maniacis morte facilè compreſſus eſt. Alterum cum Tornitio Leone geſsit: cuius virtus ſuſpecta Regi, & quod vaticinium, ipſum aliquando imperaturum audierat, in exilium à Rege miſſus eſt. Qui ab exercitu comparato Imperator ſalutatus adiunctis orientalibus copiis Monomacho infeſtis, ad vrbem venit, crebríſque commiſsis prælìis captus, & oculorum vſu priuatus eſt. Aliud quoq; bellum geſsit, in quo Roxolanos, & Patzinatas, Scythicum hominum genus, deuicit. Cúmque ob incontinentiam factus eſſet podagricus, morbúſque paulatim auctus, vt pedibus ampliùs conſiſtere non poſſet, manúſq; vſum ſuum amiſiſſent, pleuritide etiam correptus, obiit, poſt XII. Imperii annos, & menſes VIII.

Facies altera Numi huius habet imaginem Saluatoris ſolio inſidentis, dextra globum, cui Crux impoſita, ſiniſtra librum tenentis,

X 2 addita

addita inſcriptione: IESVS CHRISTVS REX REGVM.



THEODORA Zoës ſoror, à Senatu populóque Conſtantinopolitano Auguſta & Imperatrix ſalutata eſt, ac ſimul cum ſorore Zoë Imperii gubernacula tenuit, & poſt Monomachi mortem, ſola imperio potita eſt auxilio amicorum Eunuchorum paternorum. Accepto itaq; Imperio Imperatorem negotiis præponere noluit, quoad vixit, penes ſe retinens rerum omnium gubernationem. Ac huius Imperio tanta domi foríſq; quies, & otium fuit, tãta rerum omnium vbertas, vt fœminæi Imperii neminem pœniteret. Verùm ingraueſcente cum ætate morbo, & Michaële ſeniore diademate Imperiali ornato, fatis naturæque conceſsit, cùm annis ferè II. regnaſſet.

Aliud latus huius Numiſmatis refert imaginem Zoës ſupra poſitam.



HENRICVS III. Conradi Imperatoris ex Geſila nobiliſsima fœmina filius, viuo patre conſors Imperii adſcitus, ac Romanorum Rex ab electoribus deſignatus eſt. Princeps humanus, natura

facet

facetus,hilaris & largus. In Bohemos rebelles,nec annuum censum persoluentes copias ductauit,gentem eam attriuit, Ducémque Vratislaum cepit,ac annuū sibi pendere tributum coëgit. Petrum Regem ab Hungaris eiectum, restituit Aba Rege interfecto, Hungariámq; variis agitatam motibus sedauit ac quietam reddidit. Lotharingiæ quoque Ducem,vt imperio parêret, subegit. Romæ tres Pontifices de papatu simul concertantes reiecit, Pontificiæ sedi Suidegero II. Bambergensi Antistite, qui posteà Clemens secundus appellatus, præfecto. Et vt caueret in posterum summorum pontificum securitati, Romanos iureiurando adegit, nullum sine eius permissu creandum Pontificem. Inde apud Capuam Sarracenos vicit,eáque nouo præsidio firmata in Germaniam reuersus, Moguntiæ Synodum, Leone Papa præsente,celebrauit. Cunonem Bauariæ Ducem,Hungarorum conspiratione fretum, regníque possessionem ad se transferre conantem, vicit, suóque Ducatu priuauit, qui totam ætatem suam exul in Hungaria transegit. Cúmque XVIII. annis imperium tenuisset,Henrico filio annos V. nato Cæsare electo,& Aquisgrani coronato,ægritudine correptus,decessit,Aetatis anno XXXIX. Salutis M. LVI. III. nonas Octobris.

CHVNEGVNDIM Regis Anglorum Cynitonis filiam, in vxorem habuit Henricus,quam ob adulterii suspicionem, repudiauit,& in cœnobio Monialium adegit.

AGNES Gulielmi Pictauiæ Principis, & Aquitaniæ Ducis filia, secundi Henrici vxor, fœmina longè prudentissima. Hæc peperit tres filios,Iuditham,Mathildim & Itam,ac duos filios, Henricum Imperatorem,& Conradū Bauariæ Ducem. Post mariti obitum cum filio Henrico Imperium administrauit. Sed à gubernatione reiecta, Romam se contulit,ac religiosissimè vsque ad obitum XX. annis vixit.



HENRICVS IIII. Henrici III. Imperatoris & Agnetis filius, puer penè patre viuente Rex creatus. Post patris obitum sub tutela matris educatus, quæ prudenter Imperium filii quinquennio administrauit. Ea autem suasu quorundam indignè ferentium à muliere regem gubernari, ab Imperio amota, Henricus adolescentiæ libertate vsus, Saxoniam incolere cepit, venationi luxuíque operam dare, principes alios contemnere, & licentiùs omnia agere. Vnde multis inuisus, omnium ferè in se odia traxit. Saxoniæ ob rebellionem grauissima intulit bella. A Gregorio autē Pontifice Anathemate notatus, omnésque regnicolæ à iuramento regi præstito, & ab obediētia eius absoluti, Rudolphus Sueuorum Dux, contra Henricum rex creatus est. Quod magnum in Imperio peperit dissidium: Nam exercitus vndique conscripti, pugnæ multæ vndique commissæ sunt. Nouissimè verò pugnatum apud Martis Burgum, in quo conflictu Rodulphus dextera amissa, periit. Post eam victoriam Henricus Italiam ingressus, vrbéque Roma per vim capta, Hiltebrandum papam cepit, eúmque ab officio deiecit, qui non multò pòst in exilio mortuus est, suffecto in eius locum Rauennate Episcopo Clemēte, à quo etiam coronatus est. Variis deinde iactatus procellis, & à filio Imperio priuatus, Leodium profugit, ibíque eodem anno è viuis excessit, cùm regnasset annos L. Princeps facundus, liberalis, acer ingenio, bellicosus, & re bellica fortunatus. M. Marcello, & C. Iulio haud inferior, vtpote qui sexagies & bis acie collata pugnauit.

BERTHA Othonis Marchionis Italiæ filia, vxor prima Henrici, ex qua Conradum, Henricum V. Cæsarem, filias Agnetem, Limpergim & Sophiam genuit.

Alteram vxorem habuit Henricus Vthonis Marchionis viduam Rusc

Ruſcorum regis filiam,cum qua nuptias Coloniæ celebrauit.



RODVLPHVS Comes Rheinfeldt poſt obitũ Othonis Ducis Sueuiæ,Dux factus Sueuorum,quòd Henrici ſororem imperante Agnete vxorem duxerat,cum Ducatus ille vacaret. Dehinc cùm aliquandiu ſub Henrico, cui omnia debebat, militaret,à principibus contra Henricum Rex factus eſt, ſuffragante etiam pontifice Romano, qui principes Henrico contrarios, a fidelitate & periurio abſoluerat,illiq; coronam Imperialem miſerat,cum tali inſcriptione:

PETRA DEDIT PETRO, PETRVS DIADEMA RODOLPHO.

Ac aduerſus Henricum exercitum ducens, multis commiſsis pugnis,multis vtrinque cadentibus,dextram amiſit,fertúrq; in lecto decumbens, circunſtantibus Epiſcopis, truncum manus abſciſſæ intuitus,grauiter ſuſpirando dixiſſe: RECTE MECVM ESSE INGENVE FATEOR. HAEC ENIM EST DEXTRA, QVA DOMINO MEO HENRICO FIDEM CONFIRMAVI. IPSI VOS NVNC EXPENDITE, QVAM PIE CONSVLVERITIS MIHI, VT AB EO DEFICEREM, ET NVNC CONDIGNAM PERIVRII ACCIPIO MERCEDEM. ECCE IN QVOD ME SEQVENTEN VESTRA MONITA COLLOCASTIS SOLIVM: SATIVS FVISSET, FIDEM SEMEL DATAM, SERVARE INTEGRAM AC ILLAESAM. Atque haud multò pòſt animam efflauit.



MICHAEL vir ſenex à Theodora Imperatrice,ſuis ſuadentibus,in Imperatorem electus eſt. Qua mortua ad Imperium leuatus,& Diademate inſignitus,populo ac Senatui omnem liberalitatem exhibut,pleriſque ampliſsimos dignitatum gradus,& honorum, largitus.Nihil autem munificentię veris militibus oſtendens,nec verbis benignis eos accipiẽs,ſibi infeſtos omnes reddidit. Qui ſibi alium Imperatorem Iſacium Comuenum elegerunt. Ad quem opprimendum Theodorus miſſus à Michaële,commiſſo prælio fuſus fugatúſq; eſt. Conditionibus pacis autem inter Michaëlem & Iſacium conſtitutis, Michaël Imperio deiectus eſt, póſtque hoc non diu ſuperſtes vitam cum morte commutauit, cùm non amplius vno anno imperaſſet. Vir genere & opibus clarus,cætera minus ad imperãdum idoneus,ætate etiam prægrauante.



ISACIVS COMVENVS adiuuante Patriarcha factus eſt Imperator,quem deinde in magna veneratione habuit, eiúſque nepotes ex fratre propter illum, & dignitatibus honeſtauit ampliſsimis,& magiſtratibus prǽfecit illuſtribus.Sed nec diuturna illa fuit amicitia. Infenſus enim Patriarchæ, tanquàm hæreſeos autorem, cum

cum ſuis in exilium relegauit,vbi breui agens mortuus eſt.Cuius mortem Imperator audiens, pœnitentia ductus, illacrymans eiulauit, ac funus magno apparatu ab exilio reducens,in propriam manſionem repoſuit, nepotéſq; priſtinis dignitatibus reſtituit. Bellum geſsit cum Hungaris & Patzinatis : quibus tamen pacem petentibus, inducias dedit.Cùm verò biennio & menſibus III. Imperio præfuiſſet,inter venandum lateris ſubito morbo oppreſſus,cùm de ſalute deſperaſſet, cucullam monaſticam indutus, regno ſe abdicauit, nec multò pòſt obiit. Vir ſtrenuus,& moribus arrogantibus,bello pacéque infractus. In negotiis celer & expeditus, in rebus bellicis præſtantiſsimus, literis non perinde deditus,affectus tamen erga eas & ſtudioſos.Tantæ continentiæ, vt nec vxorem cognoſcere vellet poſt prolem ſemel ex ea ſuſceptam, cùm tamen pro ſeruanda ſanitate, vt frequentiore vteretur coitu,à Medicis edoceretur.

Ex altero latere habet Victoriam inſidentem globo,& dextra tenentem Crucem,cum inſcriptione: VICTORIA AVG.

Auguſtam vitę ſociam ſibi adſciuit Iſacius,ex qua prolem ſuſtulit.



CONSTANTINVS DVCAS, Andronici Ducę filius,citra negotium rerum potitus,Iſacio Imperatori ſucceſsit. Vir eximia in Deum pietate, moribus mitis, veræ pietatis cultor, & æqui obſeruantiſsimus,conſilio & ſententia tardior & hebetior, delectatus in primis vitæ munditia & ſanctimonia. Literarum ignarus: eas tamen amabat,ſtudioſóſque earum venerabatur,ſolebátque dicere: MALLE SE LITERARVM GLORIA, QVAM IMPERIO ILLVSTREM ESSE. Pecuniæ immoderatè ſtudio-

ſus, vias, quibus theſauros cumularet, quærens. Vnde inuiſus ſuis, hoſtibus etiam Imperii, res vndique vexantibus, ludibrio fuit. Conſpirationem in ſe factam diuina prouidentia euitauit, autoribus nulla alia pœna, quàm bonorum publicatione, affectis. Cæterùm Imperator diutino morbo correptus, cùm penè conſumptus diu laboraret, Imperio tribus filiis Michaële, Andronico & Conſtantino ex Eudocia relictis, iiſque Cęſaribus declaratis, defecit annis VII. menſibus VI. Imperio functus.


In hoc Numiſmate continetur imago Saluatoris inſidentis ſolio, librum manibus gerentis, cum inſcriptione: IESVS CHRISTVS, REX REGVM.



EVDOCIA cum tribus liberis marito in Imperio ſucceſsit, accepítque Imperatrix communem liberorum curam, & educationem, vnáque cum illis imperium adminiſtrauit. Et potuiſſent res domeſticæ fortaſſe muliebri prudentia non incommodè adminiſtrari, ſi à bellis externis pax fuiſſet. Sed imminentibus vndiq; Barbaris Orientem & Romanorum terras quotidie vexantibus, mulier ſagax, ne vnà cum pueris regno excideret, Rep. ob Imperatorem periclitante, quendam virum idoneum ad res bellicas præficiendum rebus eſſe iudicauit. Ac iuriſiurandi oblita, quo marito morienti ſeſe obſtrinxerat, non ſuperinducturam ſe maritum alium Imperii rebus, Romanum Diogenem ſibi maritum coniunxit, communicato negotio maiore filiorum Cęſaris, quem in regiam, vt nuptiis intereſſet, accerſiuerat, cùm imperium tenuiſſet cum liberis menſes VII. & dies aliquot.

Alterum Numi huius latus continet victoriam alatam, Crucem feren

ferentem cum inſcriptione: VICTORIA AVG.



ROMANVS DIOGENES, vir nobili familia & celebri fortitudine, cuius pater domi militiæq; clarus tyrannidis affectatæ reus ſeipſum præcipitauerat, paternæ æmulus laudis, maximas res geſsit. Ac cùm victoriam egregiam ex hoſte reportaſſet Barbaro ab Eudocia tanquàm dignus in torum coniugalem, & imperium acceptus eſt. Potitus ergo imperio cùm aduerſus Barbaros felici ſucceſſu rem adminiſtraret, hoſtes vbique fundens, & magnam contra eos virtutem exercens, inſolentior factus, rem totam neglecta Eudocia, ad ſe trahere cœpit. Alteráque ſuſcepta contra Barbaros expeditione, rem incautiùs gerens, Romano milite partim fugato, partim interfecto, ipſe à Sultano captus, & velut mancipium, abductus eſt. Factis tamen cum Sultano pacis conditionibus, & affinitate inter pueros contracta, in ſummis honoribus habitus, amplíſque donatus muneribus dimiſſus eſt. Omnibus interim rebus Bizantii mutatis, Eudocia in exilium miſſa, Romano Imperio erepto, & Michaëli maximo Conſtantini Ducæ filio tradito, à quo Romanus captus, prætérque iuriſiurandi fidem, crudeliſsimè oculis priuatus eſt. Nullam autem ſortitus neceſſariam curam, vulneribúſque putreſcentibus, adeò vt vermes prodirent, caput intumuit, nec multò pòſt deceſsit, ac ab vxore Eudocia ſepultus poſt annos III. Imperii, & menſes VIII.

Alterum Numiſmatis latus cum inſcriptione ſuprà adparet.



MICHAEL Constantini Ducæ filius, à fame, quæ sub eo inualuit, PARAPINACEVS dictus, Romano vitrico in Imperio successit. Homo ignauus, & ad Imperium administrandum minùs idoneus, studiis tantùm literarum deditus, sub Psello summo ho noratissimóque ea tempestate Philosopho, versibus componendis intentus, de rebus Imperii minùs solicitus, quæ à Turcis & Sultano circunquaque sæuitia vexabantur, potissimùm orientales Imperii partes ab hoste inuadebantur, adeò vt in socordis principis inuidiam, alius Nicephorus BOTONIATVS dictus à præfectis & ciuibus Imperator creatus sit, qui hosti sæuienti resistere posset. A quo Michaël cum vxore & filio Constantino iam dudum coronato, regno exutus, & habitu monastico indutus, in monasterium inclusus est, post VI. Imperii annum, & menses VI.

MARIA ALANA Michaëlis Parapinacei vxor, ex quo Constantinum suscepit, vnà cum marito Imperio deiecta & in monasterium detrusa.



NICEPHORVS BOLONIATES cognomento, haud dubiè nobilissimus, à Nicephoro Phoca Imperatore stem

re ſtemma ducens, in principis ſocordis inuidiam, Michaële reiecto, Imperium ſibi aſſeruit, ac à Patriarcha Imperiali diademate coronatus eſt. Bryennium Tyrannidis in occidēte inuaſorem & Baſilacium cepit, luminibúſque priuauit. Conſtantinum quoq; rebellantem compeſcuit. Mox verò à fratribus Comueni deficientibus, Byzantiúmque inuadentibus ac totam diripientibus, nullo non iniuriarum genere in ciues edito, Imperio deturbatus eſt, ac in Cœnobium abire coactus, vbi aliquandiu ſuperſtes manens vitam finiuit, anno Imperii ſui III.



CONSTANTINVS prioris Conſtantini Auguſti Ducæ, & Eudociæ Auguſtæ filius, à Nicephoro dux exercitus conſtitutus, ac cum iuſto exercitu contra Turcas Orientem deuaſtantes miſſus, ab exercitu Imperator ſalutatus eſt. Sed corruptis per Nicephorum militibus partim donis, partim Magiſtratuum dignitatibus, à militibus ipſis, à quibus Imperator creatus fuerat captus, Nicephoróque traditus eſt, à quo tonſus, & in ſacerdotem inunctus in inſulam relegatus eſt.

In altera parte huius Numi cōſpicitur Saluatoris imago, tenentis librum cum inſcriptione: IESVS CHRISTVS REX REGVM.



ALEXIVS Comuenus filius Isacii Imperatoris, Diadema impositum recepit. Multa bella infeliciter gessit. Contra Robertum Francum, exercitum ducens fugatus & cæsus, magnáque clade affectus est. Cretam & Cyprum defectionem molientes, sub iugum Romanum redegit. Modos insolitos ad extorquendam pecuniam inuenit. Numismata ærea pro argenteis excudit. Vnde multæ & variæ insidiæ ei locatæ, quæ semper detectæ, autorésque, publicatis eorum bonis, in exilium missi. Temporis autem successu multa correxit, multásque in diuersas orbis partes expeditiones fecit. Ac conuersus ad pacis artes, subinde se clementiorem erga subditos præbuit. Orphanis & senibus multùm afficiebatur, quibus etiam Orphanotrophion extruxit, & Musæon, in altero pueros puellásque parentibus orbos alendos, in altero erudiendos curàuit, sumptúsque his ex regio vectigali dedit. In misericordiam pronus, ad supplicia non præceps, moribus moderatus, virtutibus præditis maximè fauens, illisq; honores effusè largiens, vir nec arrogans, nec fastuosus. Morbo autem diutino atque grauissimo fatigatus post annum XXXVII. menses IIII. cum dimidio Imperii, Ioanni filio, reluctante in primis matre, Imperio relicto, defecit.

IRENA Alexii Comueni Imperatoris vxor, ex qua Caloioannem, & Isacium filios, filiásque progenuit.

HENR



HENRICVS V. Henrici IIII. & Berthæ Marchionissæ filius, vir bellicosissimus & audax, breui totum Imperium sibi subiecit, ac iugum omnibus imposuit. Patrem suum optimum principem bello insectatus est. Ab vniuersis regni principibus in Regem Moguntiæ electus est, atque Romam profectus, vt coronam Imperialem acciperet, maximis in Vrbe tumultibus motis, periisset, nisi sua ipsius manu vitam defendisset. Sedato autem tumultu, multisque Romanis trucidatis, Pontificem cepit, & extra vrbem abduxit. Et cùm de coronatione & iure electiuo in creandis Pontifice, & Episcopis, cum eo ageret Henricus, consensit vltrò Paschalis, vt hanc sibi prærogatiuam vsurparent Cęsares, ne quis vel Pontifex, vel Episcopus citra eorum suffragationem designaretur. Inde Romam reuersi à Paschali diadema Imperiale, cum aliis multis priuilegiis accepit: quæ tamen Papa paulò pòst reuocauit, & Imperatorem excommunicauit. Ad quem rumorem Imperator iterum Romam reuersus, Pontificem fugauit, aliúmque in eius locum suffecit. Vnde multę dissensiones, schismata, incendia, homicidia, deportationes, & tumultus in Germania sunt excitati. Firmata autem pace cum principibus omnibus & Pontifice, in Traiecto inferiore morbo correptus, periit, Spiræque in maiorum sepulcro illatus est, anno Imperii XV.

MECHTILDIS Henrici Anglorum Regis filia, vxor Henrici V. ex qua nullam suscepit prolem. Quæ vidua facta nupsit pòst Gaufredo Comiti Andegauensi, ex qua Henricum Ducem Normanniæ, & Regem Angliæ genuit.



LOTHARIVS Saxoniæ Dux, Gebhardo Comite in Suepplemburg,& Heiduuige Burggrauia Noribergensi natus, post Henrici Imperatoris obitum, ab electoribus Cæsar creatus est. Vir industrius & prudens,religiosus,diuitiis & victoriis potens,strenuus belli ductor,in armis & consilio prouidus,hostibus terribilis, iustitiæ tenax,& mirus amator. In initio Imperii motus contra se excitatos repressit. Nam Fredericus & Conradus Duces ex sorore Henrici Imperatoris nepotes,rebelles facti regi, ad se iure imperium pertinere contendebant.Sed tandem per Diuum Bernhardum pacis conditionibus constitutis,Lothario reconciliati sunt. Inde in Italiam profectus ad compescendos motus contra Innocentem, alio Pontifice electo,coortos Romæ, vbi Pontificem in Galliis penè exulem reduxit,& sedi Barionæ restituit,& in Germaniam ad componendos tumultus mox profectus, breui in Pontificis gratiam Italiam repetiit, eúmque pulso ex Italia Rogerio Pseudopontifice, qui Campaniam & Apuliam inuaserat,ita confirmauit,vt nihil inde Pontificis aduersarii mouere possent. Tantáque in Italia fecisse fertur, vt à Carolo Magno nullus ex Francorum Regibus ei conferri posit. Rediens verò per Tridentinam Vallem, Veronæ morbo correptus, anno XIII. Imperii mortem obiit.Corpus in Saxoniam delatum,in Monasterio suo nomine dicto sepultum est.

RICHISA Henrici Pinguis Comitis in Northeim de Saxonia, & Gertrudis Marchionissæ Saxoniæ filia, ex qua Lotharium filium & Gertrudim filiam genuit,ac post mariti obitum, Henrico primo Austriæ Duci nupsit.

CONR



CONRADVS III. filius Ducis Sueuiæ & Agnetis filiæ Henrici IIII. ab Henrico V. Princeps Francorum factus, mortuo Lothario legitimè Cæsar creatus est. Contra Henricum Bauariæ & Saxoniæ Ducem, qui regnum summis affectabat viribus, quòd gener esset Lotharii, & regalia insignia secum haberet, bella gessit,& conuentu principum facto,Imperator proscripsit, & ducatibus suis priuauit. Ex consilio Diui Bernhardi cum multis principibus,& maximo exercitu Hierosolymam est profectus,contra Sarracenos Christi hostes.Sed Bosphorum Thracium immaturè à Græco Imperatore Manuele traiicere coactus, cùm deesset commeatus, & qui à Græcis comportabatur gypso,& calce infectus esset, per summum scelus plurimi milites interierunt. Quarto autem anno post expeditionem,primùm reuersus in Germaniam in Lorchensi oppido apud Gemum inglorius mortuus,ibíque sepultus est,anno XV. Imperii.

GERTRVDIS Bauaria Comitis de Sultzpach, vxor Conradi, ex qua duos suscepit filios,Henricum,& Fridericum Sueuiæ Ducem, qui in obsidione cuiusdam vrbis ex aëris infectione cum aliis principibus mortuus est.



CALOIOANNES Alexii Imperatoris filius, patri

in Imperio ſucceſsit. Quo adepto ſuos omnes honoribus & dignitatibus ornauit, in fratrem Iſacium propenſiſsimus, quem incredibili amore proſequutus eſt. Vir opolentus & victorioſus, nec omnino contemnendus princeps. Varias expeditiones in Aſiam habuit. Turcas Perſáſque aliquot prælijs vicit, vrbéſque illorum plurimas cepit. Gallis & Venetis, qui ſocia arma coniunxerant, nimium infeſtus. Legato Lothario gratulaturos de victoria miſit, confœderationem more maiorum petens. Cum Conrado Rege Romanorum poſt obitum Lotharij fœdus amicitiæ iniit. Tandem memorabili exitu, dum in venatione arcum vehementius tendit, telo venenato à ſeipſo, quod in aprum dirigebatur, per manum ſiniſtram traiecto, nullis remediis opem ferentibus, vitam finiuit, poſt annos XXV. Imperii, & menſes VIII.

Imaginem Saluatoris inſidentis ſolio librúmque tenentis, cum inſcriptione: IESVS CHRISTVS REX REGVM. poſterior huius Numiſmatis pars continet.



MANVEL humili loco natus, Tryphon à pueris vocatus, conſilio vxoris Alexii principis, cum qua conſuetudinem habuerat, primoribus ciuitatis interfectis, Imperium aſſequutus eſt. Multa contra Venetos bella geſſit. Legatum eorum contra ius gentium violauit, negotiatores, quos ſimulata pace euocauerat, comprehendit, ex quo Venetis armis preſſus, promiſſa bonorum reſtitutione, pacem impetrauit. Ad Conradum fœdus amicitiæ petẽs legatos miſit: quem tamen in expeditione Hieroſolymitana variis inſidiis fatigauit. Per Boſphorum enim bellatorum numerum traducendum Conrado autor fuit, commeatúſq; pollicitus ſufficientes, gypſum contuſum in farinæ

rinæ

rinæ ſpeciem, triticeis immiſcuit commeatibus, quo cibo breui magna conſumpta eſt militum multitudo. Vnde Manuelis nomẽ Francis odioſiſsimum erat. Ac ob eam perfidiam à Rogerio Siciliæ Rege, bello petitus, vaſtata omni ora Græciæ, ac in Byzantium impetu facto, eius quoq; ſuburbiis flamma conſumptis, tam atroci iniuria affectus, vt penè de eius Imperio actum eſſet. Poſt XXXVIII. autem principatus annos, Monaſticam vitam ſecutus, morbo periit, cùm vixiſſet annos LX. relicto Alexio filio paruulo. Vir in omni vitæ ſuæ curſu fuit malitioſus, rectæ fidei dogmata perturbare per inſaniam adortus, non priùs deſtitit ab incœpto quam omnes ſibi aduerſantes videret.

GERMANA Conradi Imperatoris fuit vxor, ac deinde Manueli Conſtantinopolitano Imperatori deſponſata.

Alteram vxorem habuit Conſtantiam Manuel, quæ priùs Boëmundo nupſerat.



ALEXIVS Manuelis ex ſorore Raymundi Principis Antiochiæ filius, patri puer penè in Imperio ſucceſsit: commiſſa tamen Imperii adminiſtratione, ob ætatem minorem Andronico, à quo Imperium per aliquot annos eſt adminiſtratum. Cùm verò Imperii habenas per ſe Alexius adminiſtraret, multorum inſidiis fatigatus eſt, præcipuè Andronici. Qui cùm primum tutorem egiſſet, dehinc participem Imperii, cupidus regnandi, prçter Iuriſiurandi fidem, cum XV. tantùm annos natum, clàm interfecit, ſaccóque inſutum in mare abiecit, cùm III. annos à patris morte, rerum potitus eſſet.


In hoc videtur Numiſmate Victoria alata & ſtolata, dextra coro-

nam Lauream, sinistra ramum Palmæ tenens, cum inscriptione eiusmodi: PRINCIPI IVVENTVTIS.

AGNETEM Francorum Regis filiam, Manuel vxorem habuit, propter quam graues sibi inimicitias conflauit.



ANDRONICVS Comuenus Manuëlis Imperatoris consanguineus, ideóque Alexio tutor datus. Vir callidissimus & sæuus, cùm regnandi libidine Alexium sustulisset, imperio potitus, omnem crudelitatem in Alexii amicos exercuit, multósq; ex illis occidit, multos in exilium misit, omnibus hominibus infestum se reddens. Agnete, Imperatoris Alexii coniuge, in vxorem ducta, incestas celebrauit nuptias. Cúmque ob insitam sæuitiam, omnibus esset inuisus, à Gulielmo Siciliæ Rege, necem Alexii vindicaturo, bello petitus est. Et quia sciebat, ob nefanda scelera, nullum se habere amicum, cùm vndique premeretur, prælio victus, ab Isacio Angelo præter suam omniúmque opinionem Imperio deiectus est, captúsq; ac per vrbem asinæ præposterè impositus, altero oculo effosso, manúq; abscissa, circumuectus, vulgi turbæque tumultu vncis & harpagonibus frustulatim conceptus, ac dilaniatus, periit, cùm biennio rebus præfuisset.



ISATIVS ANGELVS ab amicis è Peloponneso ad Imperium

rium vocatus, Andronico abdicatum Imperium, sibíque magno consensu delatum, assumpsit. Vir iustißimus, & æqui obseruantißimus, Christiani nominis amantißimus, sub initia Imperii satis prudenter se gessit. Cum Guiliesmo Siciliæ Rege pacem composuit. Bellum cum Mysis infeliciter confecit, varias multorum tyrannides oppressit. Fridericum Barbarossam in Syriam properantem, cùm apud Constantinopolim desedisset, magnificè excepit, adiutúmque commeatu, & aliarum rerum necessariarum copia, datis etiam obsidibus, Bosphorum traiicere iußit. Cæterùm cùm fratrem Alexium minorem natu à Turcis captum, maximo redemisset ære, dolo ab eoipso circunuentus, per summum scelus oculis priuatus, in carcerem traditus est. Vnde per filium eductus, morbo ex aëris insolentia contracto, non diu vixit.



ALEXIVS ANGELVS Isatii Imperatoris minor frater, per summam ingratitudinem, & parricidium, Imperium adeptus, Vir impiißimus & sceleratißimus, non eo contentus, quòd maiori fratri Imperium per scelus ademerat, verùm etiam nepotem Alexium iuniorem Isatii filium annos agentem duodecim, pari cruciatu perdere, aut capere, nisi fuga salutem quæsiuisset, summo studio conatus est. Puer autem Francorum procerum auxilio solicitato, con fœderatis etiam Venetis, Constantinopoli ferro flammáque expugnata, Alexióque fugato, Imperio restitutus est, ac post patris subitam mortem Francorum Venetorúmque armis præualentibus Imperator salutatus est.

Numismatis huius pars posterior repræsentat Victoriam alatam, Crucem ferentem, tali inscriptione addita: VICTORIA AVG.



ALEXIVS IVNIOR post fugatum Alexium fratricidam, & patrem carcere liberatum, Imperium assecutus est. Cúmque promissa, quæ pater rata fecerat, adimplere cœperet, seditione orta, puer Imperator penè obrutus est: sed promptissimo consilio facilè tumultum sedauit. Et vix mense post restitutionem exacto a Murzyphlo ignobili quodam, quem ad summum dignitatis gradum euexerat pater, gutture eliso necatus est. Tyrannus hostibus frustra se opponens amissa vrbe Constantinopoli, nocte media cum vxore, & thesauris, clam aufugit, ac non multò pòst in Peloponneso captus, & Constantinopolim retractus excæcatus & de eminentissimo loco præcipitatus, pérque vrbem tractus frustatim discerptus est. Summa autem Imperii ad Francos translata, Balduinus primus Græcorum Imperator creatus est.

Mulierem stolatam in sella sedentem, vtraque manu signa militaria tenentem, cum inscriptione: PRINCEPS IVVENTVTIS ostendit facies altera huius Numi.



FRIDERICVS, cognomento BARBAROSSA, Friderici Ducis Sueuorum fratris Conradi Regis & Iudithæ filius, princeps

princeps manu ingenióque strenuus, armis exercitatus, memoria præstans, validus consilio, periculorum contemptor, affabilis & mansuetus, liberalitatis egregiæ, multarumque rerum peritia nemini secundus, statura procera, facie eleganti, capillo & barba ruffa. Conrado Rege defuncto, ab vniuersis Germaniæ principibus Rex Francofordiæ electus est. In initio imperii Bauariam & Austriam multo admirandóque labore in concordiam redegit. Henrico Lotharii filio Bauariam restituit. Henricum cognatum suum Austriacum Comitem creauit, & vtriusq; Ducatus terminos discriminales posuit. Henrico autem in Italia à se deficienti, & nouas in Germania factiones concitanti, Ducatum abstulit, & Othoni Vuitelspach donauit. Italiam ingressus, vt discordias tolleret, Derthonam portas sibi claudere ausam, obsessam cepit, Romámq; ad Adrianum Pontificem profectus IIII. Imperii anno coronæ Imperialis signa accepit. Relicta autem vrbe multas per Italiam passus insidias, in Germaniam rediit. Ducem Poloniæ ad tributum soluendum coëgit, Ducémq; Bohemiæ regio Diademate insigniuit. In Italiam reuersus, Mediolanensem vrbem sæpius rebellantem, sub iugum redactam, tandem funditus euertit, solóque æquauit, autoribus rebellionis securi percussis, bonísque eorum publicatis. Mox in Germaniam abiens, iterum Italiam maximis copiis inuasit, Anconem expugnauit, Alexandrum pontificem, qui cunctos Principes per Franciam, Angliam, & Hispaniam in se incitauerat, ex vrbe fugere compulit. Postquàm verò iterum Germanos inuiserat, Italiam repetiit, cum Mediolanensibus ad pristinam perfidiam redeuntibus, prælio congressus, multos ex suis amisit, ipse fuga elapsus, Papiam venit. Cæterum cùm Alexander III. Venetias profugisset, & Otho Imperatoris filius nauali prælio victus, captus esset, pacis conditiones sancitæ sunt, Imperatórque & Pontifex amicissimi facti sunt. Pacata tota Italia, expeditionem Hierosolymitanam suscepit. In Cilicia multas potentissimas vrbes, Sarracenos, & Turcas prostrauit. At cùm in Armenia ob æstum mitigandum sudorísque abluendi causa, amnem ingressus esset, in vndis strenuissimus heros periit, Imperii anno XXXVII. Salutis MCXC.

ADILA Marchionis de Vobburg in Bauaria filia, vxor prima Friderici Barbarossæ, cum qua iudicio Constantiensis ecclesiæ ob sanguinitatis propinquitatem, diuortium facere coactus est.

BEATRICEM de genere Burgundionum nobilißimam filiam Reginaldi Comitis Bizantini vnicam, vxorem ſecundam cum ampliſsima dote accepit Fridericus. Ex qua quinque filios, Henricum, Fridericum, Othonem, Conradum, & Philippum, filias verò duas, Sophiam & Beatricem genuit.



HENRICVS VI. Friderici Barbaroſſæ Imperatoris & Beatricis filius, patre viuente Romanorum Rex deſignatus, ac conſenſu Germanorum principum, Aquiſgrani corona inſignitus eſt. Facundus princeps & ſapiens, mediocri ſtatura, decora facie, corpore tenui, animo autem imperterrito & hoſtibus formidando. Diademate Imperiali Romæ inſignitus, acceptáque in vxorem Conſtantia Guilielmi Siciliæ Regis filia, quæ in Monaſterium Panormi incluſa erat, iuſſu Pontificis Apuliam ingreſſus, Tancreto Regi Siciliæ, Rogerii ex concubina filio, bellum intulit, Neapolímque munitiſsimam vrbem fruſtra obſedit, peſte in exercitum graſſante. Sed tamen paulò pòſt paruo negotio Neapoli capta, totam Apuliam, Calabriam & Siciliam ſubegit. In Germania tumultus coortos facilè compreſſit, Leodienſi enim Epiſcopo ferro confoſſo, rebellio quieuit. Inſignes copias Hieroſolymam contra Sarracenos miſit, ipſe cum vxore & filio Siciliam ingreſſus, cùm venationi indulgeret, ac in quodam nemore, vbi erant frigidiſsimi fontes, calorem lenire volens, in terram noctu ſtratus, ex frigore cœpit ægrotare, Meſſanámque tranſlatus, paulò pòſt obiit, ſuperſtite filio vnico Friderico, quem Philippo fratri, cum regni Siciliæ adminiſtratione ac inſignibus Imperialibus commendauit, anno Imperii ſui VIII.

CONSTANTIA Guilielmi ſecundi Regis Siciliæ, & Apuliæ filia.

lia. Hæc, ne filium regni destructorem, vt in fatis erat, progigneret, in Monasterium Diuæ Claræ Panormi detrusa est. Sed à Cælestino Pontifice soluta, Imperatori penè anus desponsata est, eique filium Fridericum in tentoriis palàm in pratis Panormi peperit, ac dehinc Mariam filiam.



PHILIPPVS, Sueuiæ Dux, Friderici Barbarossæ filius, Henrici regis frater, princeps mansuetus, mitis, facundus, & liberalis, insignia Imperialia habens, à quibusdam principibus in Mulhausen in Regem Romanorum electus est. Pars autem electorum Othonem Ducem Saxoniæ elegit, idque Innocentio III. approbante. Vnde maximæ discordiæ ortæ sunt, & ab illis ad arma ventum. Stabant pro Othone Anglus Rex, Philippo Gallorum Rex fauebat. Philippus Alsatiam populatus, vrbes & oppida euertit funditus. Argentoratum cepit, & Episcopum ad deditionem coëgit, ac ad Rhenum progressus, vbi æstuabant bella, cum Othone congressus, eum fudit & fugauit: omnésque vrbes Rheni partim armis, partim promissionibus subegit. Tandem vbi principes, assiduis attriti bellis, languerent, nullúsque rebellaret, Pontificem solum repugnantem per nuptias filiam suam nepti Pontificis ex fratre, in matrimonium collocans, reconciliauit, Othoni etiam filia sua Beatrice in vxorem tradita. Porrò sancita vndique pace, cùm Philippus Bambergæ ageret, & quodam die venam incidisset, nihil mali suspicans, solus in conclaui paucos secum habens, ab Othone de Vuitilspach, qui tanquàm amicus Cæsaris cubiculum ingressus, nemine id prohibente, interfectus est, ac Bambergæ sepultus. Sed posteà à Friderico II. humatum corpus, Spiram translatum est, anno imperii sui IX. Nec multò pòst patricida Otho trucidatus periit.

IRENE Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani ſoror, Philippi vxor, ex qua nullum filium, ſed filias Kunegundam, Ethiſam, & tertiam filio fratris Pontificis deſponſatam, Quartam Beatricem ſuſtulit.



OTHO IIII. filius Henrici iunioris ſuperbi, Ducis Bauariæ, & Saxoniæ, Philippo mortuo facilè imperium adeptus eſt: qui anteà quoque in odium Philippi Cæſar creatus fuerat. Hic magno ex Alemaniæ oppidis coacto exercitu, Romam ad ſuſcipiendam coronam Imperialem profectus eſt. Qua ſuſcepta Romæ iniuriis affectus, quædam oppida Pontificiæ ditionis occupauit, & vndique terras latrociniis infeſtauit. Proinde Anathemate à Pontifice notatus, etiam cum præſens adhuc in Italia eſſet, principibúſque ſacramenti religione, qua illi obligati erant, abſolutis, Imperii titulis priuatus eſt, Friderico II. Siciliæ rege, adnitente etiam Pontifice, in huius locum creato. Quo nuntio accepto Otho, qui tum Thuringiæ Landegrauium tanquàm rebellem fruſtra perſequebatur, Friderico occurrere ſtatuit. Verùm deſtitutus omni ſuorum præſidio, in Saxoniam profugere coactus eſt: atque reparato exercitu, & Angliæ Regis ope adiutus, in inferiorem Germaniam contra Gallorum Regem contendit, à quo victus eſt. Ac poſteà mœrore confectus, ab excommunicatione priùs abſolutus, diem clauſit vltimum, annis IIII. rerum potitus.


MARIAM filiam Ducis Brabantiæ vxorem primam Otho habuit, quam ob conſanguinitatem repudiauit.

BEATRICEM filiam Philippi Cæſaris ex Irene, ideo in vxorem duxit

duxit Otho, vt hæreditario quaſi iure Imperium poſsideret, quæ ſine liberis deceſsit.




BALDVINVS FLANDRENSIS Comes, qui cum aliis principibus Alexium in Imperio reſtituerant, capta vrbe poſt fugam Murziphli x v. virorum ſuffragio Imperator electus eſt. Iis tamen conditionibus hæc electio facta eſt, vt ſi Imperator Gallus crearetur, ne penes gentem vnam vtræque dignitates eſſent, Veneti Antiſtitem darent. Venetorum igitur conſenſu Thomas Maurocenus Patriarcha deſignatus eſt, qui ſtatim ad Rom. Pontificem profectus, quòd Conſtantinopolitana Eccleſia Rom. Pontifici ſubiiciebatur, eum dignitatis ſuæ autorem fecit. Móxque reuerſus, celerrimo conuentu, Balduinum Imperii corona inſigniuit, & inunxit. Imperator verò vix anno circũacto, cùm cuncta præter Adrianopolim recepiſſet, mortuus eſt, fratre Henrico ſucceſſore relicto.



HENRICVS Flandrenſis Comes, Balduini Imperatoris frater, princeps Chriſtianæ religionis obſeruantiſsimus, omnium conſenſu ſucceſſor fratri in Imperio declaratus eſt. Hic Adrianopolis obſidionem continuauit. Sed Bulgaris magnis copiis illi in auxilium

venientibus,obsidionem soluit, & cum Bulgaris pacem firmauit, accepta in vxorem ducis eorum filia. Cúmque domi forísque prudenter se gereret,vrbe bene munita, & firmo præsidio in ea collocato,in Thessaliam profectus,Gulielmum Bonifacii filium Thessaliæ regem constituit.Inde ad Imperii administrationem reuersus , cunctis ordinatis & dispositis,intempestiua morte decessit, Tholanta filia Petro Antisiodorensi nupta,hærede relicta post annum Imperii XI.



PETRVS Antisiodorensis Comes, Henrici Flandrensis gener vxorio iure,cùm nulla mascula adesset proles,Imperator Constantinopolitanus creatus est.Post electionem cum coniuge Romam profectus, à Pontifice Honorio extra vrbem ad Laurentii templum insignia Imperialia accepit.Inde vxore Constantinopolim præmissa, ipse Dyrrachium,quod Theodorus Lascaris,qui se Imperatorē gerebat,occupauerat, obsidione cinxit. Sed expugnatione frustra sæpius tentata,vtpote quę copioso milite,firmóq; præsidio defensabatur,soluta obsidione,acceptáq; à Theodoro fidei publicæ securitate,Macedoniæ vrbes mediterraneas inuisere constituit. Ad nemorosa igitur Thessaliæ loca delatus,cùm ad saltus ascendisset, in paratas à Theodoro insidias incidit,ac contra iurisiurandi fidem abductus,& in teterrimum carcerem coniectus, tandem obtruncatus est. Imperium interim vxore eius administrante, donec Robertus filius ex Galliis accerseretur.

ROB




ROBERTVS Antiſiodorenſis Petri Imperatoris filius, ad paternæ captiuitatis nuntium, Conſtantinopolim venit, ac confeſtim Imperator ſalutatus eſt. Veneti nominis obſeruantiſsimus fuit, adeò vt Ducem eorum Marinum Michaëlem Prætorem Conſtantinopolitanum, Imperii conſortem appellaret. Inſignis formæ puellam quandam, priùs tamen vni purpuratorum, Ductori videlicet Latinorum ordinum, nuptam, ſibi vxorem deſpondit. Vnde in maximum famæ & nominis periculum incidit. Prior enim ſponſus animi impotens amicis, domeſticiſque commilitonibus coactis, in regiam irrupit, ingreſſúſque puellæ cubiculum, eam naribus dehoneſtatam occidit, matrémque noui connubii conciliatricem, vi domo abſtractam, in mare præcipitauit. Eam vlturus iniuriam Robertus, dum Roma reuertitur, in Achaia deceſsit, Balduino filio admodum puero ſuperſtite.



BALDVINVS II. Roberti ex alia coniuge, quàm quæ naribus truncis dehoneſtata erat, filius, patri in Imperio ſucceſſit, & Ioannis Brennii Regis Hieroſolymitani filiam Martham in vxorem duxit, ſocero Imperium adminiſtrante. Quo defuncto, ſolus rerum potitus, multo bellorum onere grauatus eſt. Cúmque pecu-

niam ad bellum gerendum necessariam, alio modo à mercatoribus consequi nequiret, plumbum ædibus publicis detractum vendidit, ac ob accepti æris mutuum, filium Philippum Venetis, vt opem solam, quam possent, ferrent, oppignorauit. A quibus xxv. triremum classis missa, obsidione vrbem liberauit. Bello autem durante, donariis templorum omnium ablatis, ingentem ad Bosphori fauces exercitum obiecit, omnia Theodoro mortuo recuperare sperans. Sed dum externam vim formidat, à domestica opprimitur. Nam Michaëli Palæologo vrbe per proditionem tradita, ipse nocturna trepidatione excitus, rapta supellectile ad Euripum se proripuit, profugúsque naui in Euboëam est delatus, cùm Imperio, cum Ioanne socero suo annis penè xx. præfuisset. Ac sic Græci pristinum Imperii recuperarunt statum, quem Franci circiter annos LX. tenuerant.



IOANNES BRENNIVS, Rex Hierosolymitanus, suadente Gregorio Pontifice Constantinopolim est accersitus, ac tradita Balduino Imperatori filia sua Martha in vxorem, propter ætatem puerilem imperiũ administrauit, Imperatórq; est dictus. Eo verò mortuo, ex decreto imperium ad Balduinum reuolutum est.



FRIDERICVS II. Henrici VI. Imperatoris, & Const

Constantiæ Reginæ Monialis filius, vtriusque Siciliæ & Hierosolymæ Rex, Sueuiæ Dux, princeps strenuus, fortis, magnificus, liberalis, multarum linguarum peritus, ac simul eruditus, Latinam, Græcam, Sarracenicam, & Germanicam linguam exactè calluit. Ptolomæi Almagestum ex Sarracenico idiomate in Latinam linguam transferri curauit. Deiecto Othone, Cæsar est electus. Coronam Imperii cum Augusti nomine Romæ ab Honorio I I I. accepit, multa prædia cum donis plurimis Ecclesiæ conferens, vt Pontificis sibi fauorem conciliaret. Ignominiam autem à Beronensibus sibi in itinere illatam vlturus, vrbem eorum igne iniecto vastauit, studiúmque illinc generale in Patauium transtulit. Deinde in Sicilia, Calabria, Apulia rebelles subiugauit, & ditioni suæ adiecit, Sarracenos deuicit & expulit. Filium suum Henricum, principum consilio Rom. Regem creatum, Diademate insigniri curauit. A Pontifice Gregorio I X. iniquè, quòd votum Hierosolymitanæ peregrinationis non soluisset, Anathemate percussus est. Vt autem Pontificem deliniret, & votum exolueret, expeditionem iam diu meditatam maturauit, traiectóque mari, Cyprum, dehinc Accon peruenit, & negotium ita perfecit, quòd à Sultano non solùm Hierosolymam, sed multas alias vrbes in vicinia sitas receperit, ac Hierosolymis coronatus, anno Salutis M C C X X I X. Hierosolymã & Ioppen vrbes munitionibus aduersus vim hostium firmari curauit, pacisque fœdera cum Sultano decennii spatio sanciuit, Pontifice interim Apuliam ingenti exercitu inuadente, & sub ditionem suam redigente. Necessitate igitur compulsus Imperator ingentibus copiis in Siciliam rediit, & hæreditarium regnum ex periculi metu eripuit, ac posteà adnitentibus principibus, Anathematis diris absolutus, cum Pontifice in gratiam rediit. Dehinc in Germaniam abiit. Contra Hungaros bellum gessit. Vrbem Viennam cepit vtque Imperialis ciuitas esset, literis confirmauit. Filium suum Conradum Viennæ Cæsarem elegit. Inde in Italiam reuersus, Mediolanenses aliásque vrbes, quæ defecerant irritante Pontifice, grauissima clade affecit. Ob id tertiò à Papa excommunicatus est. Iterum tamen supplex absolutionem à Pontifice petiit, qua non impretrata, vt se tueretur, necessitas impulit, nec caruit factione Gibellinorum in Italia potentissima, quæ sibi adhærebat, alter Guelphorum partes Papæ sequente, Romámque obsedit. Sed re infesta Rauennam cepit, Parmamque obsidione cinxit. Quam funditus delere & eo loco castro-

rum nouam vrbem Victoriam condere statuit. Et res primò prosperè cessit: sed eruptione ciuium facta, ciuitas noua Victoria capta & direpta est. Creato Innocentio Pontifice, Lugduni concilium celebratum est, ad quod Fridericus non veniens, Anathemate notatus, Imperiali dignitate priuatus est, Henrico Landegrauio Thuringiæ suffecto. Cùm autem in Apuliam rediisset, & ex accepto veneno grauiter laboraret, ac medicorum diligentissima cura, & opera ex longa ægritudine conualuisset, Manfredi filii Nothi dolo necatus est, cùm XXXII. annos rebus præfuisset.

CONSTANTIA Regina Aragoniæ, prima Friderici II. vxor, ex qua genuit Henricum, Ducem Sueuiæ, & Rom. Regem, & Iordanem, qui puer obiit.

Iola Ioannis Comitis Bronæ, & Regis Hierosolymitani filia, quam pater Friderico in Europam cum cæteris Christianis principibus reuersus, in matrimonium despondit. Quæ Friderico Conradum Rom. Regem peperit, qui matri, quæ breui vixit, superstes fuit.

... AGNES filia Othonis Morauiæ Ducis, tertia Friderici vxor, quæ repudiata, Vdalrico Duci Carinthiæ nupsit.

Quartam vxorem habuit Fridericus RVTINAM filiam Othonis Comitis de Vuolffertzhausen in Bauaria.

Mortua Rutina ISABELLAM Ludouici Ducis Bauariæ, qui in Khelheym oppido cæsus est, filiam, quintam vxorem duxit Fridericus.


MECHTILDIM Ioannis Regis Angliæ filiam, Fridericus Pontificis dispensatione, quandoquidem affinitatis gradus aliôqui obstabat, sextam vxorem accepit.

HENR



HENRICVS filius Friderici II. Imperatoris ex Constantia vxore, patre viuente puer penè decennis, consensu principum Rom. Rex electus est, & Aquisgrani coronatus. Qui cùm parum adoleuisset, Austriæ Ducis filiam in matrimonium accepit. Sed cùm Pontificis diris pater Fridericus execraretur, à Pontifice corruptus, aduersus patrem cum Longobardis conspirauit, & exercitum in Bauariam contra Othonem, patre inuito, duxit. Ob id à patre in Apuliam vocatus, custodiæ datus, in vinculis maceratus, mortuus est miserabiliter VIII. annis regno potitus, quem pater dehinc flebiliter luxit, relictis duobus filiis gemellis, qui à Manfredo Friderici filio ne Siciliæ regnum sibi auferrent, veneno necati sunt.

MARGARITA Leopoldi Austriæ Ducis filia, Henrici vxor: ex qua gemellos Fridericum & Henricum procreauit. Hæc post mariti obitum Ottacaro filio Regis Bohemiæ nupsit, quam cùm nullam ex ea sobolem tolleret, repudiauit, ac dehinc veneno necauit.



CONRADVS Friderici II. Imperatoris filius, ex Iola Regina Hierosolymitana, Dux Sueuiæ, patre viuente in Romanum regem designatus est. Princeps clementissimus, & morum elegantia

R & facil

& facilitate insignis. Ab Henrico Landgrauio Thuringiæ ad Francofordiam fugatus, in Bauariam concessit, ac Ratisbonæ in insidias delapsus, vix euasit. Audita verò patris morte in Siciliam est profectus, ac Apulia tota recepta, Neapolique euersa, Capua quoque expugnata, & solo æquata, annis II. post patris obitum Imperio potitus est, à Manfredo fratre spurio, qui principatum Apuliæ vi inuaserat, veneno extinctus est, atque honorificè Neapoli sepultus, anno Salutis MCCLIIII. superstite filio Conradino, qui cum matre paruulus in Bauaria degens, cùm adoleuisset, forma egregia, in Italiam accersitus est ab illis, qui contra Guelphos assiduum bellum gerebant, ac à plerisque ciuitatibus benignè exceptus, Romam ingressus est, indéque contra Carolum Gallorum Regis fratrem à Pontifice incitatum, quíque Manfredum debellauerat, profectus, apud Beneuentum victus, & deinde per insidias cum Frederico Austriæ Duce captus, ac sordidiùs, quàm decebat tractatus, contumeliísque affectus, ac posteà Pontificis consilio cum Duce Austriæ securi percussus est.

ELIZABETH Othonis Ducis Bauariæ filia Conradi Imperatoris vxor, ex qua filium Conradium sustulit. Quæ defuncto marito, Meinhardo Comiti Goritiæ nupsit.



HENRICVS Thuringiæ & Hessiæ Landgrauius, frater Ludouici Landgrauii mariti S. Elizabethæ in odium Friderici II. suggestu Pontificis ab electoribus Rex declaratus est. Conradum Frederici filium Francofurtum ad Comitia indicta cum exercitu armato, vt interciperet conuentum, venientem fudit, fugauítque. Vlmam, quæ Conradi sequebatur partes, obsedit. Sed ob defectum commeatus, & ingens frigus, cùm obsidionem solueret, tormento

bellico ictus, eodem anno, quo Rex electus est, periit: licet alii affirment dysenteria in Thuringia eum periisse.

ELIZABETHA Ducissa de Braunschveig vxor Henrici, sterilis fuit, ac cum marito in Isennacho oppido Thuringiæ sepulta.



GVLIELMVS filius Florentii IIII. eius nominis, & Mechtildis filiæ Henrici Ducis Brabantiæ amitæ Diuæ Elizabethæ, iuuenis imberbis, vix XX. annos natus, defuncto Henrico contra Fridericum & Conradum filium ab electoribus Rex electus est. Princeps ad arma natus, qui Holandiam, Zelandiam & Frisiam paternas prouincias feliciter administrauit. Aquisgrani in præsentia electorum & Antistitum coronatus est, ac tam feliciter imperium administrauit, vt summa pax eo regnante in vniuersa Germania esset: Contra Flandrenses multa bella gessit, Frisiam debellauit, & subegit. Et cùm victor terram egressus esset, delatus in glaciem, cecidit, ac à quibusdam fugitiuis secus viam in arundineto latitantibus, cuspidibus transfixus est, cùm IX. ferè annos imperasset.

ELIZABETHA filia Othonis Ducis in Braunschveig & Luenburg vxor Gulielmi, ex qua filium Florentium & filiam Beatricem progenuit.



RICHARDVS Cornubiæ Comes, Ioannis Regis Anglorum,& Elizabethæ filius, Principibus inter se de eligendo rege variantibus,qui ingenti pecuniarum aceruo Imperium emisse dicebatur, à quibusdam principibus electus est, Alphonso quoque ab aliis creato. Et in die Ascensionis Domini,Aquisgranum ex Anglia perductus,in solium collocatus inunctus,& coronatus est, insigniáq; regalia à Philippo de Falckensteyn accepit. Vnde insolentior factus Richardus,plerasque regni vrbes,deiecta pace,quæ sub Gulielmo Rege facta fuerat,in suam ditionem coëgit. Prouincias Episcopi Treuerensis,cùm se flectere non posset, igne & ferro vastauit. Poppardiam obsedit,& expugnauit,pace ciuibus promissa,aliásque rebelleis ciuitates coërcuit.Cúmque in Angliam esset reuersus, & Londinum incautiùs obsedisset, mense Iunio captus est, ac liberatus iterum in obsidione alterius ciuitatis occisus est anno Imperii VI.

SAVCYA Raymundi Comitis Prouinciæ filia,Richardi vxor,ex qua duos genuit filios, Henricum & Edmundum Comites Cornubiæ.



ALPHONSVS Castellæ & Legionis Rex, Ferdinand

nandi III. & Beatricis filius, Princeps excelsi, & magni ingenii, ad grandia natus, Astrologicæ sciẽtiæ peritissimus, cuius nomine adhuc tabulæ Astrologicæ studiosis admodum gratæ, circunferuntur, condendis legibus deditissimus, liberalis & munificus. Ab electoribus absens Rex Romanorũ eodem anno, quo Richardus, electus est. Cùm autem vndique in Germania & Italia æstuare bella videret, persuasus à Pontifice, moderationem Imperii spontè abdicauit. Ac in Hispaniam abiens, Hispalim venit, ibique ex animi mœrore propter mortem primogeniti filii contabescens, flebiliter decessit.

VIOLANTAM Iacobi Regis Aragonum filiam Alphonsus vxorem habuit, quam plurimùm dilexit. Sed cùm nullam ex ea prolem susciperet, repudiare eam cogitans, Christianam puellam, forma conspicuam, Daciæ Regis filiam in matrimonium per Oratores postulauit. Quæ cùm adduceretur, præter omnium spem, repentè Regina Violanta grauida adparuit, ac filiam Berenguelam, dehinc Ferdinandum, Sanctium & Ioannem filios peperit.



RODOLPHVS Comes de Habsburg, Princeps non minùs manu strenuus, quàm ingenio sagax, ac prudens, famáq; conspicuus, vnanimi consensu Electorum principum, Francofordiæ, in Romanum regem electus, & per Burgrauium ex obsidione Basiliensi Aquisgranum ductus solitis ceremoniis coronatus est. Ante electionem multa præclara gessit, ac sub Imperatore Friderico II. tam strenuè res sibi commissas perfecit, vt ei tota nobilitas Cæsaris, cùm ipsum adiret, assurgeret. Brysgaiam, Ergayam, Turgayam, magnámq; partem Sabaudiæ, minorisque Burgundiæ subiugauit. In Alsatia seditiosas vrbes, quæ conspirauerant in eum, vi cepit, & dignas de illis

pœnas sumpsit. Ottacarum Bohemiæ Regem contumacem prælio vicit,atque occidit. Totam Austriam sub suam ditionem redegit, ac in ea Albertum filium suum Ducem creauit, à quo Austriaci principes originem trahunt. Bohemiam potenti manu ingressus, omnia igne & ferro deuastauit. Venceslao Ottacari filio Bohemiæ regnum restituit, eique filiam Gutam miræ pulchritudinis in matrimonium dedit, filióque suo Rodolpho Sueuiæ Duci Agnetam Ottacari filiam despondit. Talibus nuptiis pace firmata, in Heluetios, qui Comiti Sabaudiæ subdebantur mouit, quos nullo negotio subegit. Pseudofredericum, qui se pro Frederico iuniore Sueuis ostentauerat,multásque vrbes ad se pellexerat,captum Nouesii combusfsit. Comitem Vuurtembergensem Eberhardum inuasit,Stutegardium obsedit,tandem causa per Episcopum Moguntinensem transacta est. Italiam pro adipiscéda corona Imperiali nunquàm ingressus est. A Bononiensibus,Florentinis,Genuensibus, Lucensibúsq;,licet in grauem Rom.Imperii iacturam,grandem congessit pecuniam. Auaritiæ itaq; notatus studio à plerisque reprehensus est, in cæteris laudatissimus. Senio confectus,vires corporis sui imminui sentiens, Principibus Imperii Francofordiæ conuocatis, filium suum Albertum regem designari voluit. Illis autem recusantibus, Argentinam concessit, inde Erfordiam,vbi lethaliter ægrotare cœpit. Festinabũdus igitur Spiram tanquàm ad sepulcrum maturauit. Sed antequàm vrbem attingeret, in Germershaym diem suum obiit,Spiræque honestissimè regno funere, Imperialibúsq; ceremoniis sepultus, anno ætatis suæ LXXIII. Imperii XVIII. Salutis MCCXCI.

ANNA Comitissa de Hohenberg in Sueuia Rodolphi vxor, ex qua septem filias, Rodolphum, Hartmannum, Fridericum, Rodolphum, II. Albertum,Hartmannum II. & Carolum,totidémque filias Euphemiam, Gutam, Mechtildim, Agnetem, Catharinam, Annam & Clementiam progenuit.

AGNETEM iuuenculam filiam Ducis Burgundiæ, & neptem Regis Franciæ,in senectute in vxorem recepit Rodolphus,quæ cùm nullam ex eo sustulisset prolem, post mortem eius in Burgundiam rediit.



ADOLPHVS Comes de Nassav vnanimi principum consensu,sed miro astu Francofordiæ Cæsar electus,Aquisgrani coronatus est. In Columbarienses in odium Alberti Austriæ Ducis, qui filiam suam, filio Adolpho vxorem dare recusauerat, exercitum duxit.Albertúmque Ducatu eiicere voluit. Dehinc Alsatiæ vrbes auxilio Coloniensis præsulis, sibi rebelles compescuit. Et vt generis sui nobilitatem illustriorem redderet, in Thuringiam & Misniam profectus,eos magna clade affecit. Marchionem Misniæ in deditionem recepit,pacémque petere coëgit. Contra regem etiam Franciæ, propter regnum Arelatense,bellum molitus est. Cùm autem ob varias & multas in Imperio perturbationes compescendas,potentiori quodam capite in Germania opus esset, & electores principes Adolphi sordes,& ambitionem pertæsi, conuentu habito, eo reiecto, Albertum Austriæ Ducem Regem elegerunt.Adolphus verò vi Imperium retinere volens, auxilio fretus Othonis Bauariæ Ducis, Rodolphi Comitis Palatini,& quorundam Imperialium ciuitatum, armatis copiis imprudenter Alberto occurrit, & prope Vormatiam, prælio commisso,infestis armis,sex horis pugnatum est. In quo conflictu, captis multis nobilibus, multísque calore suffocatis, Adolphus ipse ab Alberto cæsus est annis VIII. rerum potitus.

IMAGINA nobilissimi viri de Limpurg filia, Adolphi vxor, ex qua tres filios,Adolphum primogenitum,& duos alios filios,filiámq; Mechtildim,quam copulauit Rodolpho Rheni Palatino procreauit.



ALBERTVS Rodolphi Cæſaris & Annæ Comitiſſæ in Hohenberg poſt occiſum Adolphum, iterùm ab Imperii electoribus Francofordiæ Cæſar electus eſt, Bonifacii Pontificis aſſenſu, cùm id obſeruantiſsimè anteà negaſſet, & Aquiſgrani coronatus. Princeps prudentia, ſagacitate & clementia nulli ſecundus, in benemeritos munificus, patiens erga inimicos, non præceps in vindictam, iniurias obliuioni facilè tradens. Filio ſuo Rodolpho Auſtriæ Ducatum adminiſtrandum commiſit, eíque Blancam Philippi Francorum Regis ſororem, in vxorem dedit. Aduerſus Epiſcopum Salisburgenſem ratione fabricarum ſalis, bellum geſsit. Moguntiam, hoſtilia fœdera contra ſe ineuntem ita domuit, vt Imperio parêret. In Bohemiam expeditionem ornans, contra Ducem Carinthiæ, qui ſe Regem Bohemiæ gerebat, miſeranda morte, à fratris filio Ioanne & comitibus quibuſdam Auſtriç trucidatus eſt, cùm annis x. regnaſſet. Sed & parricidæ omnes dignis affecti ſunt ſuppliciis.

ELIZABETHA Meinhardi Comitis Tyrolis & Goritiæ filia Alberti Imperatoris vxor, fœmina illuſtriſsima, magni & acuti ingenii: quæ ſalis mineram & vſum faciendi inuenit in Hallis prope Gmunden in ſuperiori Auſtria, omnibúſque Monaſteriis cum ſale in Auſtria prouidit. Monaſterium in loco occiſionis regis mariti ſui extruxit, atq; XXI. liberos peperit, quorum vndecim iuſtam aſſecuti ſunt dignitatem. Cæteri in pueritia mortui, ipſáque mortua in ſua fundatione Konigsfeldt ſepulta eſt.

HENR



HENRICVS VII. Comes Luitzelbergensis Henrici Comitis, & Beatricis Comitissæ Hannoniæ filius, paternis opibus haud potens, sed iustitia prudentiáque, tum rerum gestarum gloria, singularíque integritate illustrior, armis strenuus, & religione præcipuus. Alberto occiso, Francofordiæ Rex Romanorum à principibus Germaniæ electus est, electum statim confirmauit Pontifex. Ac Primùm Comitem Virtembergensem omnibus fortunis, quòd rebellis erat Imperio, spoliauit, Ioanni filio suo Regis Bohemici filiam Elizabetham vxorem dedit. Adolphum & Albertum in loco occisionis sepultos, effodi, Spirámq; deferri, & regia pompa sepeliri curauit. Posteà cum ingentibus copiis per Turrinos saltus, in Italiam descendit, ac tantam formidinem Italiæ incussit, quantam multo tempore anteà Imperator nullus alius. Mediolani Turrianam factionem detectis insidiis oppressit. Vicecomiti summa rerum demandata, vrbes quasdam, Cremonam videlicet, & Brixam, sese dedere nolentes, vi cepit, reliquas vltrò parentes recepit. Inde Romam profectus, coronam Imperii accepit, ac ab Vrsinis breui expulsus, adiuuante etiam Roberto Rege Hetruriam regredi statuit, Aretiíque agens Robertum hostem Imperii, ac læsæ maiestatis reum denuntiauit, ac tanquàm rebellem Campano, at Apulo regno priuauit. Cúmque Florentinos grauissima obsidione premeret, Monachus quidam prædicatorii ordinis, à Florentinis subornatus, Henricum veneno, quod Eucharistiæ illitum dederat ei, perdidit, Imperii anno v.

MARGARITA Ducis Brabantiæ filia, Henrici Imperatoris vxor, ex quo suscepit Ioannem, Bohemiæ Regem, & tres filias. Nobilissima matrona, reíque diuinę apprimè studiosa. Sacerdotes liberalitate & munificentia fouit, egenos & mendicos datis alimentis su-

ſtentauit,támque humilem ſe ſubmiſit, vt cùm Mediolani eſſet, die, quo cœna noſtri Saluatoris celebratur, ipſa pauperibus pedes manu ſua lauit, veſtimentáque liberaliter diſtribuit. Virum Romam ſecuta eſt. Sed Genuam veniens, mortua in æde fratrum minorum ſepulta eſt.



FRIDERICVS Dux Auſtriæ, cognomine PVLCHER, Alberti primi Ducis Auſtriæ Regis Romanorum, ac Elizabethæ filius, vir elegans, & ſtatura procerus, largus & liberalis, omnibúſque pergratus, aliquorum principum ſuffragiis Rex Rom. electus ac Bohemiæ diademate inſignitus eſt, Ludouico Bauarię Duce conſobrino ſuo ab aliis electoribus Imperatore creato. Filiam Regis Arragoniæ Elizabetham in vxorem duxit, ac cum maxima celebritate Baſileæ nuptias celebrauit. Poſteà cum magnis copiis Sueuiam ingreſſus, Ludouicum ad arma prouocauit, ac pugna facta, dubio Marte vtrinque magna ſtrages edita eſt. Poſt aliquot annos in Bauariam veniens, eam totam igne & ferro deuaſtauit, ac tandem à Ludouico ſuis opem ferente, cum fratre Henrico prælio victus, & captus eſt. Cúmque triennio in cuſtodiis maceratus eſſet, tandem præmiſsis quibuſdam conditionibus iureiurando & literis corroboratis, liberatus, ac in Auſtriam reductus, cum magna lætitia ab vniuerſo populo ſuſceptus eſt. Nec multò pòſt cùm ob perpeſſas aduerſitates paulatim tabeſceret, dyſenteria reſolutus, animam exhalauit, anno Salutis MCCCXXX.

ISABELLA Reinoldi Comitis Geldriæ filia, Friderico quidem deſponſata, ſed ob patris proditionem, eam traducere noluit.

ELIZABETHAM Iacobi Aragonum Regis filiam nobiliſsimam

mam coniugem habuit Fridericus, quæ eum vnicè amauit, tantúmq; in amore viri flagrauit, vt nihil intermitteret, quod ad salutem viri spectabat, peregrinationibus, ieiuniis, abstinentiis adeò se castigauit, vt oculos penè visúmque amitteret, flens diu noctúque ob captum maritum, donec liberaretur. Ex quo genuit Fridericum filium, & filias, Annam & Elizabetham.



LVDOVICVS filius Ludouici senioris, & Mechtildis filiæ Rodolphi de Habsburg Comitis, Rom. Regis, princeps humanissimus, omnibúsque amabilis, prouidus & sagax, in periculis animo infracto, à Primatibus Germaniæ electus, Fridericum Austriæ Ducem aduersarium habuit, quo cum per VIII. annos bellum varia fortuna gessit. Friderico tandem capto, nomen & titulum Imperatorium inuito Pontifice solus occupauit. Italiam autem ingressus, ingentibus copiis primò Tridentum, deinde Mediolanum petiit, Italiæ ciuitatibus singulis Imperatorio nomine vicarios imponens. Inde Romam acceptis XXIIII. nobilioribus Mediolanensibus ciuibus, tanquàm obsidibus contendit, ab vniuerso populo honorificè susceptus, à Stephano Columnio in æde S. Petri cum coniuge coronatus est, omni nobilitate adstante, & acclamante, Patricium & Augustum Romanum. Petrum Corbariensem virum ad res gerendas aptissimum, & haud imprudentem Nicolaum V. postea dictum summum Pontificem creauit, Ioanne dignitate papali deiecto, qui Imperatorem regno priuans, excommunicatione crudelissima, tanquàm hæresiarcham percussit. Metuens autem Imperator proditionem ac venenum, non arma, Italiam relinquere decreuit, Germaniámque summa cum animi hilaritate repetiit. Francofordiæ comitia celebrauit, in quibus antiquas leges confirmauit. Cùm autem Pa-

pæ odium magis magísque cresceret, indefessis conatibus suis tantum effecit, vt in Luceburgo conuentu alius Imperator designaretur. Sed Ludouicus in venatione cùm motu & labore corpus calefaceret, vrsúmque ingentem cum impetu quodam viriliter peteret, de equo præcipitatus, corpus graui collisione læsit. Destitutus igitur omnibus viribus, & sensibus, mortuus est anno Christi M CCC XL VII. Imperii sui XXXIII. minùs VIII. diebus, in Monaco Imperiali pompa sepultus.

BEATRIX filia Ducis Poloniæ, prima Ludouici vxor, ex qua Ludouicum ac Stephanum filios genuit.

MARGARITA filia Vuilhelmi III. Comitis Holandiæ, & Selandiæ filia, Ludouici altera vxor. Hæc cum marito Romam profecta, in Imperatricem coronata est, filiúmque Romæ peperit Ludouicum cognomento Romanum. Deinde & Othonem Bauariæ Ducem, ante quos etiam in Vuilhelmum Seniorem & Adelbertum Duces inferioris Bauariæ & dominos in Straubing peperit.



CAROLVS IIII. Bauariæ Rex, Ioannis Bohemiæ Regis ex altera vxore eius Elizabetha filius, Henrici VII. ex filio nepos, princeps religiosus, literis & linguarum cognitione instructus, Ludouico regnante à quibusdam principibus electus Bunnæ coronatus est, Clemente Pontifice eam electionem probante: Licet alii Principes, quòd neque in loco debito, nec apertè, sed latenter, nec tempore conuenienti electus esset, improbarent, & Guntherum de Suartzemburg strenuissimum militem in campis Francofordiæ crearent. Quo paulò pòst veneno necato, conciliatis sibi passim principum animis, Carolus solus Imperio potitus est, Italiámq; ingressus, Rom

Romæ Imperialem coronam turpissima pactione ab Innocentio accepit. Paucos autem ibi moratus dies, quasi venaturus ex Vrbe elapsus, Mediolanum peruenit, vbi Vicecomitibus perpetuum imperii vicariatum aurea bulla confirmauit. Dehinc iussu Pontificis, perniciosam & superstitiosam flagellatorum sectam, quæ totam penè Alemaniam penetrauerat, armata manu eiecit. Ebrardum Virtenbergensem Comitem ingenti exercitu oppressit. Bohemicarum rerum in primis studiosus fuit. Pragam Metropolim longè ampliorem reddidit, & propugnaculis muniuit: Pragensem Ecclesiam erexit, publicum Gymnasium instituit, Multa collegia Canonicorum & Monasteria fundauit, Regnum paternum maximè dilatare conatus est. Ob id Marchionatum Brandenburgensem, Lusatiæ, item Ducatum Slesiæ, Bauariæ, cum multis aliis Dominiis partim emptione, partim bello, & aliis artibus pro regno Bohemico obtinuit. Filium suum Venceslaum Regem Rom. assensu principum designauit. Altero deinde anno valetudine aduersa correptus, obiit, ac Pragis à filio honorificè sepultus, cùm annis XXXIII. Imperio præfuisset, Princeps quidem clarus, nisi maiorem regni sui Bohemici, quàm Imperii rationem & curam habuisset.

ELIZABETH Ducissa Stetinensis, prima Caroli vxor, quę prolem habuisse fertur.

AGNES filia Rodolphi iunioris Rheni Palatini, filia Rodolphi senioris, secunda Caroli vxor, sterilis & infœcunda fuit.

BLANCA Comitissa Valesii in Francia filia Caroli Comitis Valesii, & soror Philippi de Valesio, pòst Regis Franciæ Caroli vxor tertia.

ANNA, quæ ab aliis Ioanna appellatur, quarta fuit vxor Caroli, eique Venceslaum & Sigismundum filios peperit.



GVNTHERVS de Suartzemburg Thuringiæ Comes, vir robustus & strenuus, annos XLV. natus, à principibus electoribus Carolo contrariis, diu multúmque ad assumendum Imperium solicitatus, crebrò tamen recusauit. Tandem iis conditionibus annuit, si maior Principum electorum pars Francofordiæ conuenirent, Imperiúmque vacare decernerent. Congregatis igitur principibus in Campis Francofordiæ vnanimi consensu Guntherus Rex Rom. declaratus est, præstitis iuramentis, & debito exhibito officio. Electus igitur Francofordiam vrbem, tanquàm Rex Romanus ingressurus, à ciuibus prohibitus est. Mos enim ciuibus est, vt nullum Regem in vrbem intromittant, qui habet Imperii æmulum, nisi prius vrbs obsessa aliquam vim patiatur, aduersariúsque interim aut manum cũ eo conserat, aut diuisioni viam inueniat: ita vt vnus fortiter regnet, alter inglorius ac timidus abeat. Ingenti itaq; coacto exercitu, Guntherus potẽtissimè Vrbẽ duobus penè mensibus obsedit, dehinc in Vrbẽ Regio more receptus est. Concordia verò per Marchionem Brandemburgensem constituta inter Guntherum & Carolum, VI. mense Imperii, veneno à Medico suo necatus, periit, ac Francofordiæ à ciuibus regio apparatu, regióq; monumento est sepultus.



VENCESLAVS Caroli IIII. filius annos natus XV. patre

patre solicitante, in Regem Romanum Francofordiæ electus est, & Aquisgrani pręsente patre Carolo, coronatus. Patri & auo per quàm dissimilis: tam corpore, quàm animo deformis, atque ineptus, desidia corruptus, luxui tantùm deditus, administrationem Imperii prorsus neglexit. Ob id à Baronibus regni captus, quatuor mensibus custodiæ est traditus, donec per fratrem Ioannem Marchionem liberaretur, vnde tamen non melior factus est. Nihil quod memoratu dignum esset, in Imperio gessit. Illud certum est, nisi à fratre Sigismundo captus, & Viennæ in carcere seruatus esset, Imperióq; Germanorum procerum consensu deturbatus, res Imperii diutius afflixisset. Rerum autem potitus est annis XXII. & anno ætatis LVII. ex ira in Apoplexiam incidens, ac paralysi diebus XVIII. laborans, veluti porcus in volutabro, animam exhalauit.

IOANNA Alberti senioris Ducis Bauariæ, & Hollandiæ Comitis filia, prima Venceslai vxor, ex qua nihil generare potuit.

SOPHIA filia Ioannis Ducis Bauariæ soror, altera Venceslai vxor, Mulier forma insigni, ac corpore valde eleganti, sterilis tamen, & anno Salutis MCCCCXXVIII. mortua in Posonio Hungariæ oppido, in æde S. Martini sepulta est.



IODOCVS filius Ioannis Henrici Marchionis Morauiæ fratris Caroli quarti, BARBATVS dictus, homo inutilis, & qui veritatem non præstabat. Hic, vt alii tradunt, ante Rupertum, deiecto Venceslao in Regem Romanum creatus est. Alii verò post mortem Ruperti, à principibus electoribus Francofordiæ regem designatum asserunt. Non autem coronatus est, quoniam prouectioris ætatis, an-

num enim LXXXIX. excesserat, vix VI. menses in Imperio transegit. Brumiæ oppido Morauiæ mortuus, & in Monasterio S.Thomæ, cum patre suo, qui id construxerat, sepultus.

IODOCVS Imperator vxorem habuit Reginam Hungariæ ex qua nullam prolem genuit.



RVPERTVS Dux Bauariæ & Comes Palatinus Rheni, filius Ruperti Adolphi & Beatricis, vir armis exercitatissimus, ingeniiq; acerrimi, ac insignis iustitiæ cultor. Post Fridericum Ducem Brunsuicensem Cæsarem quidem electum, sed à Moguntino Antistite impiè occisum, ac propter illius mortem diu multúmque in Germania tumultuatum, Imperator à Principibus declaratus est, Bonifacio IX. approbante, & Coloniæ ab Archiepiscopo Coloniensi Regio diademate insignitus. A Florentinis ad comprimendam Galeaciorum potentiam, in Italiam descendit: Præsidio autem Ducis Austriaci, & Episcopi Coloniensis destitutus, congressus cũ Vicecomite succubuit, fugáque saluti consuluit. Vnde ad Tridentinos & Venetos delatus, quàm honorificentissimè acceptus est. Ac cùm Pontifici, Venetis & Florentinis enarrata clade sua, surdis fabulam caneret, re infecta in Germaniam per Alpes cum equitatu reuersus, res Imperii cum diligentia tractauit, de Italia nihil ampliùs solicitus, quam permisit suis se vulneribus conficere. Post pleraque autem in Imperio honorificè gesta, insperatò in Oppenhein diem suum obiit, ac Heydelbergæ sepultus anno Imperii X.

Vxorem habuit Rupertus, cuius nomen, genus & familia incognita est, ex qua genuit Rupertum cognomine Pipam Palatinum, qui

qui cum Ioanne Duce Burgundiæ à Turca captus, post liberationem sine vxore & liberis Ambergæ moritur, atque ibi sepelitur.

ELIZABETHA filia Burgrauii Noribergensis, vxor altera Ruperti, ex qua quinque filios sustulit, Fridericum, Ludouicum, Stephanum, Ioannem, & Othonem, ac tres filias.




SIGISMVNDVS Caroli IIII. Imperatoris ex Ioanna filius, princeps sapientia, eruditione, probitate, & multarum linguarum cognitione clarissimus, statura talis, qualis tantum principem decebat. Hic adhuc puer Mariam filiā Ludouici Regis Hnugariæ vxorem duxit, ac Rex Hungariæ, deinde Romanorum factus est. Ingentia bella contra Hungaros gessit, & ab illis captus est. Aduersus Turcas maximum parauit exercitum, eúmque ad Adrianopolim vsque perduxit. Verùm perturbatis ordinibus à Gallis, primum locum in acie deberi sibi contendentibus, ab Amurathe graui prælio victus, castrísque exutus est, cæsis magna ex parte ducibus, & Burgundionum Rege capto. Triennio magnam Europæ partem publici concilii cogendi causa, quò Schisma tolleretur, peragrauit. Concilio autem Constantiæ congregato, tres adulterinos Pontifices Ioannem XXIII. Gregorium & Benedictum Pontificia dignitate deposuit, & in Pontificatu Othonem de Columna, Martinum quintum posteà dictum, suffecit, ac pernicioso schismate inter Pontifices sublato, concordiam & tranquillitatem Ecclesiæ restituit. In eo etiam concilio Friderico Burgrauio Noribergensi ob excellentes eius virtutes, ius electiuum Imperii donauit. Deinde in Italiam profectus, Mediolanum venit, acceptáque de more Imperatorio, ferrea corona, Parmam, Senas, Romámque profectus à Pontifice, Cardinalibus, po

T pul

pulóque Rom.perbenignè ſuſceptus eſt,& Corona Cæſarea donatus.Italiam verò relinquens, Baſileam vbi concilium erat , peruenit. Eugenium Pontificem concilium Baſilienſe à ſe prius confirmatum, reuocantem , Ferrariámq; traducere conantem, tanquàm contumacem ſummo ſacerdotio deiecit. Relicto autem Concilio Bohemiam ingreſſus eſt,omniáque diſsidia componere inſtituit. Sed præuentus morbo,& ſenectute,diem clauſit vltimũ,cùm attigiſſet annum LXX. anno Imperii XXVII. anno Chriſti MCCCCXXXVII. Corpus eius in Albam tranſlatum Regalem Hungariæ ibidem ſepultum eſt.

MARIA Ludouici Regis Hungariç & Poloniæ filia, vxor Sigiſmundi prima,ex qua nullam quidem prolem , ſed regnum conſecutus eſt.

BARBARA Hermanni Comitis Ciliæ filia , altera Sigiſmundi vxor,ex qua vnicam filiam Elizabeth genuit.Fœmina illa fuit immenſæ libidinis, & procacitatis inuerecundæ , quæ ſæpius viros peteret, quàm peteretur. Vitam omnem cenſuit inanem,quæ non coitu, luxu ac libidine contereretur.Nihil omiſit procaciſsima mulier,quo voluptatem explere intelligebat.Animam cum corpore interituram iudicabat,paruifaciens religionem Chriſtianam. Cùm ergo in luxu dies penè ac noctes tranſegiſſet, peſte infecta , in Græcia mortua eſt , ac Pragam delata, regio funere in monumento regum ſepulta eſt.



ALBERTVS eius nominis V. & II. Rom. Rex, Alberti IIII. & Ioannæ filius , annum agens XII. patrem amiſit. Agens deinde ſub tutoribus patruis inter ſe digladiantibus, grauia quæque perpeſſus eſt.Pubertatem verò egreſſus,tutelam abiecit, Auſtriámq

ſtriámque pacauit. Elizabetham Sigiſmundi Imperatoris filiam in vxorem duxit,dotiſque nomine inſigniores Morauiæ vrbes accepit. Defuncto autem Sigiſmundo,perſuaſione ſoceri vnanimi conſenſu à proceribus Hungariæ & Bohemiæ Rex ſalutatus atque coronatus eſt.Polonos,qui regnum Bohemicum ad ſe transferre conabantur,è regno deturbauit, intráque ſuos fines quieſcere compulit. Vacante quoque propter Sigiſmundi interitum,Imperio Rom. omnium con cordi voto,nemine diſcrepante,Imperator deſignatus eſt. In Hunga riam contra Turcam Amurathem,qui Hungariam per incurſionem inuaſerat,vocatus, maximis copiis profectus eſt. Sed cùm ad eius aduẽtum Amurathes oppugnata priùs Sinderouiæ Vrbe retrofugiſſet, ac Albertus copiis diſſolutis Budam rediret, calore feruentis Auguſti vexatus,peponibus ſitim ſedare volens, in ſolutionem ventris incidit,dyſenteriáque fatigatus prope Strigonium, princeps religioſiſſimus & liberaliſsimus mortuus eſt, cùm annum I. menſes X. imperaſſet.

ELIZABETHA Sigiſmundi Imperatoris ex Barbara filia, Alberti coniux, ex qua duas filias ſuperſtites Annam & Elizabetham minorem natu reliquit.grauida tamen vidua relicta,poſthumum Ladiſlaum filium peperit.



FRIDERICVS III. eius nominis,Erneſti & Cimburgæ Duciſſæ Maſſouiæ filius, poſt Alberti obitum ab Imperii electoribus concorditer Francofordiæ Rex Rom.declaratus eſt,dehinc Aquiſgrani coronatus. Ducta in vxorem Leonora Eduardi Regis Portugaliæ filia,in Italiam tranſcendit, Romámque ingreſſus à Nicolao Pontifice nullo nõ honoris genere exceptus, & cum Leonora

Imperatrice maxima cum solennitate, Regali diademate ornatus, Imperator Augustúsque acclamatus est. Inde Venetias delatus: Summi honores ei a Senatu populóque Veneto exhibiti sunt, liberalitérq; & munificè cum toto exercitu exceptus, per Alpes in Austriam reuersus est. Vbi omnia plena tumultuum atq; seditionum inueniẽs, ingentésque labores & seditiones partim ob tutelam Regis, partim ob paternæ hæreditatis cum fratre diuisionem, perpessus, facilè eas compescuit. Defunctis autem Alberto fratre & Ladislao, Archidux Austriæ solus factus, & Rex Hungariæ à multis designatus est, sicut & Mathias Humiades factione quorundam Rex electus est. Vnde bellum Pannonicum ortum, quod tamen breui composuit. Filium Maximilianum à Frandrensibus captum, Flandria vndique vastata, ex custodia liberauit, eúmque consortem Imperii fecit. Ex ætate & labore in stomachi morbum incidens, aluóque resoluta in Lyntzio obiit, anno Imperii III. Salutis MCCCCXCII.

LEONORA Edouardi Regis Portugaliæ & Ioannæ filia, vxor Friderici, ex qua tres sustulit filios, Christophorum, Maximilianum Imperatorem & Ioannem, filiásque duas Helenam & Chungundim, quam astu, patre ignorante, Albertus Bauariæ dux sibi vxorem copulauit.



MICHAEL PALAEOLOGVS vir ingentis spiritus & copiarum Dux sub Theodoro Lascari Græcorum Imperatore, cuius filios testamento tutelæ sibi traditos trucidauit, Imperiúmque per summum nefas arripuit: Gulielmum Achaiæ & Bythiniæ principem regno deturbauit, captiuúmque Adrianopolim perduxit, atque in vincula coniecit. Qua elatus victoria, Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem aggressus, Vrbéque Byzantio per

per proditionem potita Imperium sibi vẽdicauit. Byzantio capto cum Venetis diu acre bellum gessit, à quibus Imperio facilè deturbari potuisset, nisi Genuenses obstitissent. Dehinc, initis induciis, Lugdunum ad concilium, quod Gregorius indixerat, profectus est, faciléque ei cum Pontifice conuenit, ex quo tantam in se Græcanicæ gentis inuidiam contraxit, vt nec mortuo iusta persoluerint, & locum sepulturæ negarint. Mortuus est autem cùm imperasset annis XL. & amplius rebus præfuisset.




ANDRONICVS PALAEOLOGVS senior, Michaëlis ex tribus maribus natu maximus filius, post patris mortem Imperium administrandum suscepit. Michaëlem ex matre Hungarica fratrem cõsortem sibi Imperii fecit. Quo mox defuncto, Cõstãtinum iuniorẽ Despotem ad Imperii fastigium euexit. Quod Michaëlis filius Andronicus iunior iniquo ferens animo, Genuentium fretus auxilio in auum insurrexit, omnéque ius ad se traxit. Eo autem per Venetos restituto, tandem prægrauantibus Bulgaricis auxiliis & Genuensium, auus coactus Venetos destituit, partésque ligusticas à nepote coactus amplexus est, ac septuagenario maior, tandem mortuus est, cùm XV. annos regnasset.




ANDRONICVS iunior filius Michaëlis Imperato-

ris. Hic auum suum Andronicum seniorem collectis coniuratoribus Imperio deturbauit, idque auxilio Genuensium, quibus in mercedem Tenedon insulam pollicebatur. Sed Veneti fortiores Andronicum auum in patriam reducunt. Ob id indignatus iunior Adronicus Bulgaros accersiuit, quorum auxilio auum coëgit cum Genuensibus fœdus inire. Ac cùm VI. annis varium & anceps bellum cum auo gessisset: sæpe tamen reconciliatis animis, amicorum interuentu, tandem Byzantium clàm ingressus, in auum nihil vltra molitus, illum quoad vixit secum imperare passus est. Eo mortuo cùm aduersus Romani nominis hostes res egregias gessisset, multis iam victoriis clarus, febre, capitísque dolore intra quatriduum confectus, mortuus est anno ætatis XLIX. relictis filiis Caloioanne & Manuele.



IOANNES CANTACVZENVS, Andronici iunioris magnus domesticus, tutelam filiorum Andronici sibi commissam, prudenter administrauit. Apocauci autem fraude viri obscurissimi, & Patriarchæ autoritate in exilium trusus est. Qui iniuriæ impatiens, bellum quinquenale aduersus Reginam & Ioannem Andronici filium gessit, ac prodito illi Byzantio, nulli molestus fuit. Sed Imperii principem egit, filiámque suam Ioanni in vxorem tradidit. Sed cùm socer & gener in vna viuerent domo, in discordiam inciderunt, quæ in dies inualescens, tantũ eos incendit, vt domi forísq; alter alteri se hostem ostenderet. Caloioannes in Tenedon veniens auxilio classis Genuensium pulso armis Cantàcuzeno, in patrium regnum restitutus est. Cúmque Byzantium ingrederetur Cantacuzenus Imperio se abdicans, Monasticam vitam secutus est. Sed Caloioannes cùm fortiter multa administrasset, moriens filio Manueli Imperium reliquit.

MAN



MANVEL filius Ioannis Palæologi,patri in Imperio ſucceſsit.Septem filios mares incolumes reliquit,Primum Ioannem,qui morienti patri in Imperio ſucceſsit. Secũdum Adronicum,qui Theſſaloniam in partem hereditatis accepit, Tertium Manuelem, Quartum Theodorum, Quintum Demetrium excelſo animo, & ſumma virtute principem.Qui Peloponneſi Regnum diu obtinuit. Sed quia Chriſtianiſsimus vir erat,maximis à Turcis affectus eſt iniuriis. Sextum Thomam Peloponneſi Deſpotem,Septimum Conſtantinum, qui poſtremus omnium imperauit.Ita diſtributis regionibus & inſulis filiis Manuel ſine magnis & præclaris geſtis mortuus eſt, Ioanni natu maximo Imperium adminiſtrandum relinquens.



IOANNES filius Manuelis primogenitus, poſt patris obitum, Imperium arripuit, pacis & concordiæ, quàm belli auidior, quietis admodum ſtudioſus, ideò cum omnibus principibus ſummè concors, neminem moleſtabat. Italiam ad concilium Florentinum, quod celebrabatur ab Eugenio Pontifice, penè totius Græciæ nobilitate ſtipatus,petiit. Vbi hæreſis de proceſsione Spiritus ſancti,tam à Latinis,quàm à Græcis damnata & exploſa eſt.Reuerſus autẽ Conſtantinopolim,haud diu ſuperuixit.



CONSTANTINVS VII. Manuelis filius, Ioanne fratre atque liberis defuncto, in Imperium succeſsit. Princeps ab initio animi ingentis, ſæpius cum Turcis congreſſus eos fudit, fugauítque, ac eis oppida vi abſtulit, & expugnauit. Vnde ob militarem virtutem DRACONIS cognomentum accepit. Sed vbi ab Amurathe Turcorum Tyranno Heraclea oppidum munitiſsimum expugnatum eſt, murúſque qui Græcos in Poloponneſo tutos ſeruaret, deiectus, adeò animo conſternatus eſt, vt omnis virtutis ſuæ immemor, tributum Turcis daret, illiſque timore perculſus, cederet, cùm anteà Iſthmum inſtaurandum curaſſet, tributúmq; reddere abnegaſſet. Mahomethes itaque id ſentiens, vrbémque Conſtantinopolim in medio ſui Imperii ſitam, non ſuo parêre Imperio ægrè ferens, animum ad eam ſubigendam adiecit, caſtellóque iuxta littus ad oſtium Boſphori mira celeritate extructo, bellum contra fœdera & iusiurandum, ingenti coacto exercitu, indixit, ſimúlque gerere cœpit. Terra igitur & mari regiam aggreſſus vrbem, cùm mœnia conquaſſaſſet, quarto & quinquageſimo obſidionis die, vrbem vi ſumma cepit, ac in ea ingentem cædem in omnem ſexum indiſcriminatim edidit. Conſtantinus verò ad portam trepidus cùm ſe recepiſſet, fugientium trepidatione oppreſſus, in portæ anguſtiis conculcatus cecidit, paludamentóque cadauer eius agnitum, eiúſque caput iuſſu Mahometis abſciſſum, palóque affixum per vrbem & caſtra ad ludibrium circumuectum ac geſtatum eſt. Ac ſic vetuſtiſsimum Græciæ Imperium, quod M C. & X C. ampliùs annis ſtetit, in quo tot principes Chriſtiani floruerunt, tanta religio viguit, paucíſsimis diebus deiectum & crudeliſsimè ſubuerſum eſt. Anno noſtræ ſalutis M C C C C. L I I I. I I I I. calendas Iunii.

MAXIM



MAXIMILIANVS Friderici III. & Leonoræ Reginæ Portugalensis filius, optimæ indolis puer, sed in pueritia à præceptore suo indocto neglectus: studia bona fouit, literatos amauit, euexitq;, præmiáq; digna elargitus est. Decimumoctauum agens annum, filiam Caroli Burgundi in vxorem duxit, atque in Flandriam nuptias celebraturus abiit. Sexto verò matrimonii anno, vxorem imprægnatam ex equo delapsam, & ex casu posteà grauissimè ægrotantem amisit. Anno deinde Salutis M CCCCLXXXVI. patre Friderico adhuc viuente Rex Romanorum inunctus est. Ac biennio pòst Brugis à suis captus in aromatarii cuiusdam domo custodiæ per nouem menses traditus, decollatis plerisque in eius conspectu nobilioribus aulicis suis, non sine horrendo ac stupendo quodam timore per patrem Fridericum cum exercitu XXXII. milium venientem liberatus est. Matthia Rege Pannonum defuncto, eius ditionem sibi vendicauit. Multa grauissima & varia bella gessit, Italicum contra Carolum Francorum Regem, Helueticum non sine suorum iactura, Bauaricum contra Rupertum Palatinum Rheni, Hungaricum & deinde Venetum, quod vario euentu tractauit, habuitque Regem Franciæ, & Pontificem Romanum in fœdere contra Venetos. Cæterùm cùm se morti vicinum esse sentiret, sanxit, vt suarum prouinciarum rectores ac præsides cum omnibus officialibus in suo quisque statu, quoad alter nepotum in Germaniam commigraret, perseuerarent, ac postea profluuio ventris mortuus est, anno Salutis nostræ M CCCCCXVIII. Imperii anno XXXIII. Princeps magnus bello, pace tamen præclarior, linguarum peritia non omnino ignarus, ore probo, statura quadrata, quæ Impatoriam præ se ferebat dignitatem.

MARIA Caroli bellicosissimi Burgundionum Ducis filia, Maxi-

miliani vxor prima, forma elegantiſsima, cum qua vnanimis ſumma cum voluptate vixit, ex qua genuit Philippum primogenitum, Caſtiliæ, Legionis,& Granatæ Regem,& Margaretam filiam. Ipſa iterum imprægnata,cùm ex caſu equi,immaturum ederet partum,mortua eſt.

ANNAM filiam Franciſci Ducis Britanniæ alteram vxorem accepit Maximilianus, cũ qua per VVolphgangum de Polhaym Auſtriæ Baronem,& deinceps Auſtralium terrarum ſupremum Capitaneum, ſuum Oratorem condormiuit,ſed non traduxit.Carolus enim VIII. Rex Franciæ violenter illam ſurripuit, remiſſa eius filia Margareta, quam prius ſponſam aliquot annis habuit.

MARIA BLANCA Galeacis Ducis Mediolanenſis filia, tertia Maximiliani vxor, cum qua annis XVI. tranquilliſsimè vixit, ſed ſine ſobole,& in Stanis Monaſterio ſepulta eſt.



PHILIPPVS Archidux Auſtriæ, Maximiliani & Mariæ filius, Ioannam Ferdinandi ſenioris Aragonum Regis filiam vxorem duxit,Regnáq; Caſtiliæ,Legionis & Granatæ in dotem accepit. Ex qua ſuſcepit filios Carolum V. Imperatorem, & Ferdinandum Hiſpaniarum Principem,Auſtriæ Ducem: filias verò quatuor, Leonoram, Iſabellam, Mariam, & Catharinam poſthumam. Vigeſimumoctauum autem ætatis annum cùm attigiſſet, mortuus eſt, parenti Maximiliano grauem poſt ſe luctum relinquens.

IOANNA Aragonis Regis filia,Philippi vxor,ex qua Carolum V. Imperatorem, & Ferdinandum Auſtriæ Archiducem, cum quatuor filiabus Leonora,Iſabella, Maria & Catharina, progenuit.

CAR



CAROLVS, eius nominis V. Hiſpaniæ & Siciliæ Rex, Archidux Auſtriæ, & dux Burgundiæ, Philippi filius, Maximiliani nepos, ad Imperii faſces anno MCCCCCXIX. electus eſt, annóque ſequenti Aquiſgrani magna ſolennitate coronatus, ac deinde anno MCCCCCXXI. cùm Comitia Vormatiæ celebraret, à Leone Pontifice miſſo legato, in Imperio confirmatus.

FINIS.

Le priuilege du Roy.

HEnri *par la grace de Dieu Roy de Frãce, A noz aymez & feaux Conseillers les gens tenans noz Courts de Parlement à Paris, Tholouze, Rouen, Bourdeaux, Dijon, Dauphiné & Prouence, Preuost de Paris, Seneschal de Lyon, Bailly de Rouen, & à tous noz autres Iusticiers & Officiers, ou leurs Lieuxtenans, à chacun d'eux comme à luy appartiendra, Salut & dilection. Noz bien aymez Iaques de Strada Mantuan, & Thomas Guerin Marchand Libraire demourant à Lyon, nous ont fait dire & remontrer que à grans fraiz & desp̄ens ilz ont recouuert & dressé vn liure ainsi intitulé:* Epitome Thesauri antiquitatũ. Hoc est, Imperatorum Romanorum Orientaliũ & Occidentalium Iconum, ex antiquis Numismatibus quàm fidelissimé deliniatarum. Ex Musæo Iacobi de Strada Mantuani Antiquarii &c. *Lequel liure lesdits de Strada & Guerin imprimeroient voluntiers pour le bien commun de nostre Republique, illustration & intelligence des antiquitez & bonnes lettres, & contentement des fauteurs & amateurs d'icelles, tant en Latin, François, Italien, Allemand que Espaignol: mais ilz doutent qu'apres qu'ilz auront fait les fraiz & employé grande somme de deniers pour la correction, papier & impression dudit liure, & pour la taille des figures qu'il conuiendra pour ce faire tailler & grauer, Autres Libraires & Imprimeurs de nostre Royaume ne vousissent semblablement imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer ledit liure contrefait soux leurs corrections, & par ce moyen les frustrer de leurs labeurs, merites, fraiz & despenses, s'il ne leur estoit par nous pourueu de noz grace & remede conuenable, humblement requerant icelui. Parquoy nous ces choses considerees desirans que ledit liure vienne en euidence, pour donner aussi moyen ausdits de Strada & Guerin de recouurer le merite de leurs labeurs & impenses, A iceux auons permis & ottroyé, permettons & ottroy*

ottroyons par ces preſentes imprimer, faire imprimer, & vendre ledit liure tant de fois & en tel nombre que bon leur ſemblera, durant le terme de douze ans enſuiuans & conſecutifs à commencer au iour & date que ledit liure aura eſté acheué d'imprimer par eux, ſans ce que ce pendant & durant ledit temps & terme de douze ans enſuiuans aucuns Marchands, Libraires, Imprimeurs, ne autres quelconques, s'ilz ne ſont commis & appellez par leſdits de Strada & Guerin, le puiſſent imprimer ou faire imprimer, grauer, pourtraire ou contrefaire leſdites figures, pour le vendre ou diſtribuer en noz Royaume, païs, terres, & ſeigneuries, ſans le vouloir & conſentement d'iceux de Strada & Guerin. Si vous mandons & commandons à chacun de vous endroit ſoy, & ſi comme à lui appartiendra, que de noz preſentes, grace, permiſſion & ottroy, vous ſouffrez & laiſſez leſdits de Strada & Guerin iouir & vſer pleinement & paiſiblement. Et faites ou faites faire inhibition & defenſes de par nous à tous Marchands, Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes quelconques, autres que ceux qui ſeront commis par leſdits ſupplians, ſur peines grandes à nous à appliquer de perdition dudit liure & de tout ce qu'ilz y mettront, de imprimer, ne faire imprimer, ne expoſer en vente ledit liure, ſinon celui qui aura eſté imprimé par leſdits ſupplians ou leurſdits commis, ſans leurdit conſentement, comme dit eſt, à ce qu'ilz puiſſent ſe rembourſer des fraiz & miſes qui leur conuiendra faire à ladite impreſſion. Car tel eſt noſtre plaiſir, Nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques, mandemens ou defenſes à ce contraires, leſdites inhibitions & deffenſes tenans. Donné à ſaint Germain en Laye le 11. de Iuillet lan de grace Mil cinq cens cinquante trois, & de noſtre regne le ſeptieme.

Par le Roy, le Seigneur de Roſsy Maiſtre des Requeſtes ordinaire de L'hoſtel, preſent.

Signé Mahieu.

Ledit liure fut acheué d'imprimer le ſixieſme de Nouembre 1553.

LVGDVNI,
Excudebat Ioannes
Tornæsius.